PROSPERI ALPINI
DE MEDICINA AEGYPTIORVM
LIBER QVARTVS.

De medicamentis alterantibus, quorum est apud Aegyptios vsus. Cap. I.

GVILANDINVS.

QRTO Sole, quando iam in locum nostris sermonibus constitutum oportune venimus, ne tempus frustra conteramus, cum multa hodie de medicamentis ab Aegyptijs vsitatis nobis dicenda supersint, iam de his ipsis sermonem aggrediare. In primis vero illa medicamenta, quæ pro alterandis corporibus, & mox purgandis ea gens sequitur, mihi prius narrato. spero enim illos medicos aliqua ex illis in vsum habere, quorum notitiam, & nouitate rei, & eximia vtilitate, mirum in modum nobis profuturam, voluptatique futuram arbitror. Expecto itaq; de his nunc, vt loquaris. ALPIN. Quanquam nihil ferè habeam, ex his, quod tuis auribus dignum esse iudicem, nihilominus, ne laborem subterfugere videar, quæ per hos annos ibi medendo obseruaui, tibi dicere non recusabo: Quæ qualia ve sint, tu quoque facilius coniectura assequi potes. Situs enim locorum, hominumq; loca habitantium perspectæ ac cognitæ naturæ, vsum familiarium medicamentorum communi quadam ratione medicis significare videntur. Siquidem cœli frigidiores plagas habitantes, quòd corpora exinde habeant frigidiora, calida medicamenta frequentare obseruamus. Contra, qui sub calidiori cœlo degunt, quia calidioribus corporibus præditi sunt, frigida appetunt, ac pro tuenda ipsorum valetudine, refrigerantium medicamentorum vsus apud illos est frequentissimus. GVILAND. Vera loqueris: Hincque Germani, Boemi, Poloni, Angli, Flandri, atque alij frigidarum regionum populi, vsqueadeo aromatum vsu delectantur, vt maxima piperis, zinziberis, Gariophyllorum, nucum, aliorumq; omnium

nium aromatum apud illas nationes copia absumatur, itidem arbitror, vt hi calfacientia medicamenta sequuntur, ita calidarum regionum incolas frigidis oblectari ac gaudere, atq; exinde vsum præfrigerantium medicamentorum ipsis esse familiarissimum, præsertim verò Aegyptios, vt ex te alias audiui, ea de causa plus æquo refrigerantibus indulgere. Ex quo etiam malos ibi cum uiuendi, tum medendi vsus, uel potius abusus originem duxisse rectè arbitrari possumus. Quandoquidem incolæ frigidorum locorum ab vsu refrigerantium plusquam opus esset, timentes, vsque adeo à refrigerantibus tum cibis. tum medicamentis cauere, & abstinere solent, vsque adeoq; vsum calidorum amplecti, vt refrigerantia planè negligant, non tantumq; inutilia, verum etiam sibi valde noxia esse autument: exindeque refrigerantia omnia medicamenta abhorreant, ac fugiant, adeoque vulgo ob eam causam calfacientium usus receptus est, ut illum immodicè sequentes, in causa sit, ut plurimi populares morbi, per ea loca ferè assiduè grassentur. Plures enim Germani, Poloni, atque alij frigidarum regionum populi ob eam causam à frigidis cauentes, uinis generosis, aromatibusq; nimium indulgentes, hepar immodicè calfaciũt, atque exurunt, ex qua temperie qualia oriri soleant mala, nobis obscurum nõ est, & cum ab his tamen abstinere nolint; eos breuiorem uitam viuere, mirum non est. Eodem quoque modo aliàs me dixisse memini, ex frigidorum frequenti, & continuo vsu, Aegyptios in multos morbos incurrere: atque hanc esse ex præcipuis causis unam existimo, qua terra Aegypti calidiori cælo utens, corpora pleraq; sanguinea, ac pituitosa gignat, & quod magis admirandum nobis videatur, ea loca populares morbos frigidos plerosq; pati, ab hisq; plusquam à calidis incolas uexari; Sed cur mihi cupienti ex te cibos, atque medicamenta, quibus illi utuntur, audire, egomet impedimento sum? ALPIN. Ne ab incepto sermone discedamus, dico in primis, Aegyptios ob multũ ambientis calorem, uictum, medicamentaq; vi refrigerandi atque humectandi prædita præcipuè consectari. Plerique enim pro uictu omnia edulium genera, quæ ex lacte parantur, usurpãt, maximeq; lac acetosum, quo omnes ibi libentissime, atque familiarissime uescũtur. Plebsq; paupercula lac comedit, cucurbitæ, cucumeri, lactucæ, endiuiæ, portulacæ, uel alijs oleribus refrigerandi vi præditis minutissime incisis, mistum. Oleraq;, quibus eos uesci consuetudo est, sunt Melochia, bammiæ, fructus,

ctus, lactuca, endiuia, ſoncus, coriandrum, portulaca, culcaſſiçq; radices, quas quiſque ibi familiariſſime varijs modis paratas comedit. Atque ex fructibus, cucurbitæ, cucumeres, mela inſana, Melones, anguriæ, Muſæ fructus, ficus noſtrates, & ſicomori, qui ſunt noſtris latiores, breuiores, atque longe inſipidiores, limonia, atq; aurantia, dactili, fabæ, ciceres, atque piſa viridia. Ex radicibus, vt nuper dictum eſt, culcaſſiæ eſt frequentiſſimus vſus. Arundinum quoque viridium, ex quibus ſaccharum ibi exprimitur, in cibo apud eos vſus eſt familiariſſimus. Pro potu plerique fluminis Nili aqua perpetuo vtuntur, ſiquidem illis vinum lege interdictũ eſt. De medicamentis itidem dicendum eſt, illa etenim ſequuntur, quæ refrigerandi, atque humectandi facultate ſunt prædita, qualia exiſtunt Nymphea, papauera, ipſorumq; ſuccus, ab ipſis affion, à Græcis meconium, & à latinis opium vocatus. Pſyllium, coriandrum viride, quod etiam in ferculis in frequentiſſimo eſt vſu. Endiuia, ſoncus, cichoreum, lactuca, plantago, Melochia, malua, roſa, ſandala, limonia, cytria, atq; acacia. Interim etiã ex calidis vtuntur, meliloto, fænugręco, amaraco, menta, camomelo, anetho, liquiritia, fęniculo, aniſo, atque alijs multis. Berberis fructus in medicinæ vſu valde frequentant, quos putant cor multum roborare, viresq; reficere, ac perfrigerare, ſitimq; extinguere, in febribuſque ardentibus, atque peſtilentibus ijs paratis vti ſolent. Horum ſiquidem libram in vaſe magno aqua pleno, vel duodecim etiam aquæ libras continente, mittunt cum nonnullis feminibus fęniculi, uel fruſtro panis, atque per noctem, vel diem ſic manere volunt, deincepsq; de frigida hac expreſſione, per colum transfuſa, cum ſaccharo multo roſaceo, vel ſimplici, vel ſyrupo ex acido citri largè ægrotis propinant, qua potione calorem febrilem ſitimq; extinguunt, viresq; reficiunt, atque etiam putredini præuali de obſiſtunt. Præſtantiſſimum auxilium ad alui fluxiones apud eam gentem ſua adſtrictione, habetur, eoque potu ego olim ibi peſtifera febre correptus, cum immoderata diarrhęa bilioſa, libentisſimè fęlici cum ſucceſſu, Aegyptiorum medicorum conſilio ſum vſus. Cum autem volunt, hos fructus non modo roborare, ſed etiam aluum ſoluere, tamarindos ipſis miſcent, aut manam, aut terengibil. Chinæ radices ex proximis Indijs delatæ vſus apud eos eſt familiariſſimus, non tantum ad Gallicam luem, ſed ad multos alios innumeros morbos curandos, præſertimque pro

emaciatis,

emaciatis, atque gracilioribus corporibus. Huiusce radicis recentis ex iure gallinarum nigrarum pinguium decoctum per multos dies propinantes, corpora carne replent, pinguiaq; reddunt. Id etenim, præterquam, quod corpora pinguia reddit, cutē etiam faciei sic pulchram efficit, vt si illiusce vires nostrę mulieres rectè aliquando experientia didicissent, huiusmodi chinæ radix apud nos cariori pretio, sine dubio venderetur. Raro ligno Indo, vel salsaperilla ij vtuntur, eius regionis merito calorem timentes. Mulieres pauperculæ sumptum pro alijs ferre nequeuntes, vulgares hermodactilos, quibus communiter nostri pharmacopolę vtuntur, modicè contostos, ęquè atque nos castaneas edimus, multos vnica vice, ad impinguescendum, deuorant, ex quibus neque aluus aliquo pacto turbatur, neque aliud quippiam mali accedit. Hinc nostri pharmacopolæ scire possunt, quantum illis, pro vero hermodactilo vtentes, hactenus errauerint. Egoq; hos non parum admiratum sum, quando Aegyptiæ mulieres earum radicū (quas sine dubio, si modo Dioscoridi credendum sit, Cholchici esse quisque herbarum materiæ peritus fatebitur.) per multos dies ad decem, & plures etiam euntes dormitum sumpsisse, instarq; castanearum comedisse, sine vlla noxa ibi sæpius compererim. Est etiam illis in vsu frequentissimo semen illud bon ab ipsis appellatum, & quo illud decoctum parant, de quo posterius loquemur. Huic omnes non secus quàm nostri in publicis tabernis, vinorum potationibus, operam dant. De eoque sigulis diebus sæpe admodum calenti interdiu, sed maxime mane ieiuno stomacho large bibere consueuerunt. Si quidem ipso ventriculum calefieri, roborariq; apud eos compertū sit, non minusq; etiam viscerum obstructiones tolli, quotidie experiantur; Mulieribus ad euocandos menses pręsentaneum est remedium, apud easq; in vsu est frequentissimo, quibus diminutè fluentibus, eius decocti probè calentis multum epotant, paulatim modicum sorbitantes. Sic enim in vsu est apud omnes, ut paulatim ipsum deglutiant. In vsu etiam satis frequenti sunt semina lactucę, Altheę, maluę, cucumeris, melonis, abdellaui vocati, papauerisque vtriusque. Albi quidem semina sanitatis tempore libentissime, largissimeque comedunt. Vtuntur etiam fruticis cuiuspiam floribus, salicem emulantis, quem alij dan, alij calaf appellant, ad multos morbos, pręsertimq; ubi cor patitur, nam aiunt, cor ijs maxime roborari expertum esse, satisq; va-

lenter

ſenter excellentiori putredini obſiſtere, febreſque delere. Hincq; eis ad peſtiferas febres utuntur frequentiſſime. Flores etiam alterius fruticis el hanne dicti, qui eſt Alcanna Auicennę, maximè frequentant, ad dolores, caput ex frigida cauſa infeſtantes. Et quos prętera ex caſſię arbore colligunt, pro omnibus leniendis doloribus, maximeque in podagra habent itidem in vſu. Vtuntur frequentiſſime & ſeminibus pſyllij, maximeque in febribus ardentibus, quorum infuſum, ſeu mucilaginem, in his febribus tutiſſimè propinant ęgrotis. Ex quo proſpicitur errare cum Dioſcoride omnes, qui pſyllium venenum eſſe ſcribunt; quando ibi tutiſſime nemine ab eo unquam lęſo, pſyllium aſſumatur. Opobalſami quoque, quod illuc ex fęlici Arabia legitimum, ac ſyncerum defertur, ad multa mala vſus apud eos eſt familiariſsimus, prącipuuſque ad mulieres ex vteri frigiditate, atque humiditate ſteriles, per clyſtere intra uterum iniecti. Expertum eſt ſępiſſime, ipſum ad id magnum auxilium eſſe, quibus imbecillus, laxus quippe, ac frigidus eſt uentriculus, id per os ſumptum maximi eſt adiumenti Eius ſiquidem calorē ualde fouet, auget, ac roborat. ex quo ad iuuandam concoctionem ęteris omnibus ſine dubio prąſtat. Opij, quod ij affion nuncupant, vtūtur hi frequentiſſime, cui longo tempore ſic illi aſſueſcunt, ut mox, vel trium etiam dragmarum pondus aliqui tutò per os aſſumere audeant, eo homines duarum horarum interuallo hilares fieri arbitrantur, promptioreſque in obeundis ipſorum muneribus, maximeq; ad bellum, atque uenerem. Ibique vulgus fabulatur, milites in bello, qui eum ſuccum ſumpſerunt, omnes belli timorē deponere, ſicque ferociores ad ſubeundam pugnam fieri, vt quęlibet belli incommoda fortiſſime ac ſtrenuiſſime deinde ferant. Non pauci etiam ſunt, qui eum aſſumentes, opinantur, ſe per ſomnum varia pulcherrima, amęniſſimaq; viridaria, atque amatas puellas viſuros, ſeque cum ijs oblectaturos.

GVILAND. Neſcio unde affirmes, eam gentem opio, Grącis meconio, atque ab ipſis affion dicto, tutò vel innoxie vti, quando tute ipſe in libris de prąuidendis morbis, à te olim conſcriptis, plurima ſęuiſsimaque ſymptomata ex vſu huius ſucci concitari ſcriptum reliqueris. atque ab omnibus tum Grącis, tum Arabibus medicis meconium, ſeu opium, ſeu affion in numero frigidorum medicamentorum recenſeatur. ALPIN. Haud eſſe abſurdum, ut homines aliquorum venenorum vſui aſſueſcāt, tibi planè notum eſt,

prę-

præsertim, si quispiam eo vti à minima quantitate incipiens, paulatim, ac gradatim ad maiorẽ quotidie ascẽdat. Quod Anus Athenienſis, Galeno his verbis in lib. 3. de alimen. facul. docente, cuius percelebris memoria est fecisse dicitur, etenim ea à minima cicutæ portione auspicata, nullo detrimento ad permagnam progressa est copiam: principio enim pacuum exiguitate ipsa deuictum est, at consuetudo naturale reddidit. Multi Aegyptiorum in ista erronea opinione adeo permanent, vt ab assumpto opio multa se per somnium spectare imaginentur, atque pro certo habeant omnes opium per os sumentes multa optata viridaria, puellas, & alia id genus esse spectaturos. Quot deliramenta læsa imaginatio aliquando in homine pariat, neminem medicorum latere arbitror. Mirumq; idcirco haud erit, illos ea imaginatione, quòd omnes vsu opij multa videant, deductos, eo deuorato somno grauiori captos, quippiam rerum desideratarum ipsorum imaginationi obiectarum, somniare. An verò verè quicquam eis opij vsus conducere possit, non est, quod tibi persuadeam, quando te non lateat, ipsum præualidum venenum esse, ac nullo pacto iuuare, & omnino homini nocere. Negandum tamen non est, quamplures Aegyptios opium quotidie sumentes, nullam noxam sentire, eo longa scilicet consuetudine à natura superato, & in alimentũ quoquo modo verso. Hincq; fieri puto, eos qui ipsum quotidie deuorare consueuerint, aliqua die intermittentes, hora, in qua assumebant, in grauissima symptomata incurrere; Animi siquidem deliquio fastidiosissimo ipsi tentantur, nulloq; auxilio sic tuto liberantur, quàm rursus opium euorantes. Multos ab hac seruitute liberatos vidi, si in hora, qua soliti sunt ipsum capere, largius ex vino cretico, pipere, atque alijs aromatibus alterato potent. Verum etsi ij affirment eo vsu rectè se valere, minimeq; lædi, tamen eorum corpora valde frigida reddũtur, functionesq; deteriores fiunt, ebrijq;, atque torpidi ferè perpetuo apparent. Singula, quæ sunt à me visa, ex opij vsu symptomata, in libris de præuidendis morbis in Aegypto memoriæ proditis, extant, ad quos, qui hac de re plura scire volunt, nos remittimus. Sed ad rem modò redeo, reliquaq; medicamenta ab illis vsitata persequor. Habent siquidem alia multa composita medicamenta, quibus animi gratia vtuntur, veluti de opio nunc dictum est. A quibus per os sumptis inquiunt se multa per somnium videre, de quibus, nisi nunc multa decocta, quæ

medicinæ

medicinæ causa vsurpant, expositurus essem, longiorem sanè sermonem tibi fecissem, cui tamen finis iam est imponẽdus. GVILAN. Haud inutile, neque iniucundum fore existimo, si ante quam ad illorum decus te conferas, illa eadẽ medicamenta, quæ animi gratia ab ea gente assumuntur, edisseras. In memoria sanè habeo, dum per Aegypti loca olim diuersarer, multos eiusmodi medicamentis veluti ebrios, ac amentes factos, multa capite, oculisq; præsertim deliramẽta facientes inspexisse, de quibus aliqui ex Turcis, qui mihi tum ad securitatem astabant interrogati, responderunt, illos esse, qui herbam animi gratia comedere assolent, quiq; etiam confirmabant illos tunc in somnijs multa lætissima viridaria, amatasque puellas videre. Multaq; alia de ijs dixere, quæ mihi risu valde digna uidebantur. Itaque de his etiam aliquid aliud te loqui, desidero.

De medicamentis ab Aegyptijs animi gratia vsitatis, quibus sperant his deuoratis, varia exoptata in somnys se visuros. Cap. II.

ALPINVS.

PRIVSQVAM tibi ea medicamenta recenseam, quibus deuoratis multi Aegyptiorum sopore capti, varia optata obiecta se uidere opinantur, atque ijs admodum delectantur, præstiterit an istud verum esse queat, nũc ex te in primis addiscere, quãdo ipsorũ alij affirment, si per os affium vel asis, vel bosa, uel bernaui, vel denique bers acceperint, se plurima pulcherrima viridaria, atq; formosissimas lasciuiẽtesq; puellas quasi somniãtes uidere: Atque alij se illa tantum somniare ac videre, quæ ipsos valde delectant ita, vt viridariorum visione gaudentes, eadem in somnijs uideant, & amantes, desideratas puellas, & milites bella. Hęcq; opinio sic ipsos inuasit, atque ibi tandiu inualuit, ut nunc quamplurimos semper ibi spectare possis illis medicamentis indulgentes. Nec tantum hic usus in plebe, uerum etiam in primatibus, nobilibusque Aegyptijs retinetur, ibiq; antiqua consuetudine fit, ut aliquis ad rem aliquam uocatus, uolens eius laborem subterfugere,

fugere, neget se id posse, quod ea die, atque hora herbam comedere consueuerit. GVILAND. Cur tu de his loquens, qui ad mouendas illas visiones ijs medicamentis vtuntur, dixti herbam eos comedere, prouerbio dici, quãdo ex te quędam electuaria potius, quàm herbam illos deuorare, nuper audierim? ALPIN. Non me latent Aegyptios ad illas concitandas visiones, pluribus medicamentis compositis vti, vt est electuarium bernaui vocatum ex proximis Indijs delatum, Bers, Bosa: sed ad id simplex herba cannabis cæteris apud illos est familiarior, quam ea gens assis appellat, quo nomine nihil aliud quam herba significatur, quasi cannabem hinc herbam per excellentiam vocent. Quia vero (vt audiui) prima experientia eas mouendi visiones ex huius herbæ vsu prodita est, atque originem traxit, vel quòd ipsa promouendis his visionibus cæteris alijs medicamẽtis præstet, adagium illud herbam sumendi venit. Sed hæc missa faciamus, quando ex te nunc audire cupiam, an id verum esse queat, Aegyptios quippe ijs deuoratis medicamentis posse in insomnijs eas visiones cernere, an potius hæc ipsis falsa, læsaq; ferat imaginatio. Quamobrem tuum nunc erit, quæsita diluere. GVILAN. Quid? an non hanc esse satis iucundam speculationem, ipsamq; etiam vberiorem sermonem desiderare quàm præsens hoc tempus nobis concedat? verumtamen non sinam te omni responsione carentem abire, qui mihi tantopere confidens, facillime posse me hanc veritatem cognoscere, arbitraris, sed quicquid est, quod ego in hac re sentiam, nunc paucis ex me audies. Quod igitur ibi famosissimum sit, omnes, qui ea medicamenta assumunt, multa, ac varia, quibus delectantur, obiecta sopore captos videre, certissimamq; dictorum visionem quisq; speret, facile erit, vt sibijpsis omnia se visuros suadeant, quæ famose illo modo ab omnibus spectari affirmantur. Neque immeritò, cum à deuoratis medicamentis vapores multi concitati, & in caput delati, ipsum varijs modis feriant, eiusq; sensus valde perturbent, ex quibus, ijs præsertim, qui visui audituiq; deseruiunt, sic turbatis, varia, ac multa obiecta ex consuetis rebus, communi sensui, cuius munus est sibi oblata obiecta contemplari, distinguere, ac iudicare, offeruntur. Quæ non modo dormientibus, sed etiam vigilantibus apparere possunt. Hominibus itaque ab huiusmodi vsu medicamentorum varijs modis capite lęso, atq; eius sensibus exinde turbatis, illis certò multa obiecta offerri videntur, quæ vulgus

illorum

illorum medicamentorum vſu per inſomnia ſe videre arbitratur, qui tametſi nihil vere videant, tamen ea cernere imaginantur. Vel dicendum erit, (quod facilius fortaſsè nobis ſuadebitur) vſu illorum medicamẽtorum vitiatam eſſe ipſorum imaginationem, non ſecus quam accidit in melancholicis. Homines ſiquidem eo morbi genere correptos, melancholico humore, vel halitu cerebrum inuadente læſa imaginatione, uaria deliramenta opinari medicis notiſſimum eſt. Duo in melancholicis obſeruantur, quippè primo humor, uel halitus, qui cerebri partem, in qua reſidet imaginatio, obſidet, atque lædit, qua parte læſa, functiones imaginatricis facultatis continuò uitiantur, atque exinde homines haud rectè imaginantur. Secundo eſt illiuſce, uel humoris, uel vaporis ater color, quo, vt Gal. docet, (quanquam Auerrhoes aliter ſentiat) ſingula illa deliramenta cum timore, & męrore omnia fiunt. Quæ duo melancholicæ amentiæ, Hippocrate affirmante, verum caracterem explicant, quo ab alijs amentijs verè diſtinguitur. Hinc igitur à ratione non erit alienum, vapores, uel halitus ex deuoratis illis medicamentis in caput delatos, cerebri membranas ferientes ac lædentes, varia per id temporis obiecta, ac phantaſmata ad imaginationem deferre poſſe, ex qua vitiata imaginatione homines plura uariaq; deliramenta, ueluti melancholici faciunt, uidere opinantur. In dormientibus iſtud haud obſcurè ilicebit obſeruari: etenim quis ille erit medicus, qui plura uariaq; ſomnia ſeu uiſiones ferè ſingulis noctibus à uarijs eſitatis cibis, in quam pluribus hominibus fieri, non audiuerit? Braſſicam percoctam in cibo ſumptam, paſtinacam, pręſertim carote, uocatam, porra, erucam, phaſeolos, multaq; alia ferè infinita, uaria turbulentaq; ſomnia facere noſtrum latet neminem. Dioſcoridesq; de hortenſi ſmilaci hęc in
,, ſecundo lib. memoriæ prodidit, dicens: Siliqua cocta cum ſemine
,, in oleribus aſparagi modo eſtur, urinam ciet, & tumultuoſa ſom-
,, nia facit. Vnum uero ſupereſt intelligendum, ſcilicet, quod Aegyptij fabulantur, an fieri poſſit, ut ab ijs deuoratis medicamentis ea utique dormientes, quę ipſis ualde accepta exiſtunt, quęq; ualde amant, & deſiderant, uidere queant; quando omnia uel folia, uel ſemina, uel radices, ſomnia mouentia, illa tumultuoſa ac melancholica plerumq; faciant, quòd ſingula hęc ſuccum halitumq; gignant melancholicum. Quomodo itaque prędictorum uſus amata, atque deſiderata obiecta illis offerre poterit? ALPIN. Hinc

pro-

proficiſci putauerim, quia halituum commotione, uel agitatione in cerebrum facta, ea frequentius obiecta facultati imaginat repreſentantur, quæ aptiora ſunt, vt ad ipſam facilius moueantur, ac ferantur, qualia ſunt hominibus plus accepta, & cara, quęq; ab ipſis plus coluntur atque deſiderantur. Hæc ſiquidem frequentius memoriam ac imaginationem occupant, ex quo amantes frequenti ſomni amatas, ac deſideratas puellas videre, bellaq; milites videntur ſomniare, atque nautæ naues maria ac ventos, amata ſi quidem & multum deſiderata obiecta ferè continuo à memoria ad imaginationem mouentur, atque ab hac ad illam, & rationem. Ad imaginationem ea citius mouentur ex motu, quem amor, deſiderium, delectatio, ac appetitus hos ſequens concitant, hæcq; cæteris alijs obiectis citius, frequentius, & facilius interni ſenſus mouentur ac exercentur, ex quo alijs obiectis familiarius ac frequentius non tantum dormientium, verum quoque vigilantibus ipſa imaginationi offeruntur, hinc à quibuſuis ſumptis medicamentis ſomnia excitandi vim habentibus amata plusque deſiderata obiecta cæteris alijs facilius ad imaginationem mouentur. Quam ob cauſam ij illis deuoratis medicamentis plus amata ac deſiderata obiecta frequentius in ſomnijs, atque etiam leuiſſimo, perinde ac ipſi vigilarent, ſopore captis videre certò affirmant. GVILAND. Satis nos rationem illarum viſionum, ijs medicamentis mouendarum, nunc conſiderauimus, videmurque de ignotis loqui, quando ea medicamenta haud hactenus agnouerimus, proinde præſtat, vt nunc de his loquaris. ALPIN. Diximus tamen illa his nominibus apud eam gẽtem appellari, ſcilicet affion, aſſis, boſa, bernaui ac bers. De affion, quod eſt Grecorum meconium, atque noſtrorum opium, ſeu ſuccus è nigri papaueris capitibus expreſſus, referunt homines, eo deuorato paulo poſt hilares admodum euadere, multaque ac uaria loqui, fortioreſque ad quęque obeunda munera ſibi videri, præterea ſubdormientes, hortos etiam & viridaria multa arboribus, herbis, ac floribus varijs per belle ornata ſpectare. Horum uiſiones omnibus Mahometis aſſeclis ſunt acceptisſimę. Fiunt nihilominus, opium ſumentes comatoſi, ueternoſi, fereque ſtupidi, atque apud omnes incõſtantes habentur, modo etenim aiunt, modo negant, cum ipſiſq; tractare omnes cauent. Ioan. Iacob. Manni medicus ſane in Aegypto multum uerſatus, quiq; ante me medicinam pro Illuſtriſ. Veneta Na-

tione, magna cum laude ibi fecerat, tres casus de ijs, qui opio vti consueuere, mihi narrauit, dixitq; cuidam viro, opij vsui assueto, per Nilum flumen Alexandriam versus nauiganti, cum opium deesset, ille statim egressus naui, adeo celerem cursum Cayrum versus tenuisse, vt nunquam quisquam nostrum ipsum consequi potuisset, idque ne in hora solita sumendi opium præterita, in fastidiosa symptomata laberetur. Secundus fuit Nauta, qui dum sua naui multos Alexandriam veheret, in medio itineris opio carens in sæuissima incidit symptomata, præsertim in syncopim molestissimã, quibus à viatoribus opio oblato ilicò sanatus est. Iterq; illud incolumis prosecutus est. Demũ alius fuit, qui eodem modo opio deficiente, in exitiosissima symptomata lapsus, ferè mortuus est, vixq; reuixit, atq; non nisi longissimo tempore sanus euasit. Hunc succum, quo omnes vtuntur, ex locis Saieth, vbi olim Thebarum vrbs erat præclarissima, deferunt; ibi etenim nigra papauera copiosissime proueniunt, cæterisque omnibus facultate præstant, ex quorum capitibus succum exprimunt, quem sole siccant, atque ad vsum seruant. Asis nihil quidem aliud est, vt superius quoq; dictum est, quam puluis ex cannabis folijs paratus, quem cum aqua dulci mistum in massam redigunt, cuius bolos quinque castaneæ magnitudinis, vel plures deuorant, à quibus per horam post homines, qui eos sumpsere, quasi ebrij facti, suas amentias produnt, atque in ecstasi diu manentes, suis desideratis visionibus oblectantur: hocque medicamenti genus plebs frequentat, quia viliori pretio ibi venditur. Tibi mirum haud erit, ex cannabis vsu hoc fieri, quando is caput vaporibus replere, atque ferire multum valeat, Galeno in primo libro de alim. facul. docente. Qua mira eius facultate ista herba apud ipsos nomen vt iam dictum est, Asis assecuta est; quod per excellẽtiã herbã dicit. Bosa idẽ, & plus quàm asis præstare, dicunt, quam ex farina loliacea, & seminibus cannabis, & aqua componunt, nihilque aliud quam massa ex his confecta existit. Alij ex his cremorem parant, vt in potu absorbeant. Bernaui electuarium in proximæ Indię locis paratur, in Aegyptũque copiose defertur cuius Aegyptij compositionem planæ ignorant, eius tamen operationes videntur admirabiles, tuisque auribus non indignæ; siquidem ab assumpta vncia huius electuarij, homines primo hilares fieri incipiunt, multaque loquuntur, & canunt amatoria, multumque rident, aliaque deliramenta læta produnt,

dunt, quæ amentia ferè per horę ſpacium, in his perdurat; à quà ſtatim iracundi fiunt, in iramque pręcipitantur, effreneſque redduntur, in qua parum perſiſtunt; demum ijdem ſic triſtari incipiũt, tantoq; męrore atque triſtitia, & timore angi, vt continue plorent, & lamententur, quę paulo poſt, ab his deliramentis multum feſſi ſomno correpti, digerũt, ac finiunt redeuntes ad priſtinam ſanitatem. Hęc in conuiuijs ab Hiſtrionibus, vt conuiuantibus ſolatio ſint, ſępiſsime fieri conſueuerunt. At mihi hac narranti, mulier quędam Aegyptia in memoriam venit, quę à potu largiori vini cretici ebria, omnia ferè prenarrata varia deliramenta faciebat. Primo enim immodice hilaris fiebat, atque ſic tũc amore laſciuiebat, vt quemcumque virum ſibi obuium continuo complecteretur, ac oſcularetur, mox è riſu cantuque ad iram, & furias ſic tranſiliebat, vt cum omnibus rixam habere vellet, ſicque lites, & contẽtiones ſequebatur, vt omnes qui in eadem cum ipſa domo erant, ab ipſa non parum timentes precauerent. Demum ab his tota in mæſtitiam ferebatur, multumq; lamentabatur, ac omnes ſuos defunctos cantu illo męſtiſſimo, vt conſuetudo eſt, aſſidue deplorabat, quouſque ſomno caperetur, quo ebrietatem planè digerebat. Gviland. Neque immerito illa ſymptomata in illa muliere ex largiore vini generoſi potione fiebant. Sanguine ſiquidem primo ex vino calfacto, & multum humectato, qui fortaſſe bilioſus, vel exuſtus eſſe debebat, nec non adaucto viuidioreque reddito, hilaris ſummopere mulier illa oſtendebatur, ex quo etiam vbi vini caliditas eximia immodicè in illiuſce ſanguinem egit, multumque ipſum calfaciẽs, bilioſum, atq; acutum, fecit, vapores ilico acuti mordentes membranas cerebri bilioſos illos effectus concitabant rixas ſcilicet, contentiones, atque furias. Sanguine vero eodem à vini calore fere exuſto, admodumque exſiccato non ab re in męſtitiam mulier, facta exinde melancholica labebatur. Quam hepar valde calidum ac exuſtum habuiſſe cogito, cuius quidem ſanguis exuſtus, quam primum à vino copioſo humidior fieret, ſtatim ea perinde ac ſanguinea euaſiſſet, hilaris reddebatur, quo poſtea à vini calore potente calidiori reddito, vt bilioſa, bilis accidentia ſentiebat, & denique intenſiori in ſanguinem facta aduſtione, melancholica fiebat. Sed cur hæc amplius repeto, teq; moror, quo minus reliqua iam abſoluas? Alpin. Bers quoque eſt electuarium, quo Aegyptij ad illa deliramenta vtuntur, cuius compoſitio

hæc est. Accipiunt piperis albi, seminũ hyosciami albi, an. dra. xx. opij, dra. x. spicæ Indæ euphorbij, piretri, an. mitchal. croci. scr. xv. Contundunt omnia in mortario marmoreo, & mox cum mellis partibus tribus miscent, quo vtuntur tantum post sex menses. Bers vero nomenclatura sanitatem vna hora tantum durantem, sonat. Vtuntur illi etiam alijs compositionibus, veluti est diamuscus, philosopha, Theriaca Andromachi Senioris, & alijs. Nunc vero ijs auditis vtilius erit, vt ego ad decocta accedam, quæ parantur, tum ad corporum tuendam, tum perditam recuperandam sanitatem, ab illis populis vsitata, à quibus deinceps de syrupis sermo à nobis etiam erit habendus, vt demum de ipsorum Theriaca, quoque loqui possimus aliqua, quam illi ita egregiè se componere arbitrantur, vt ipsorum compositionem alijs omnibus preferendam putent. GVILAN. Rectè dicis, & spero etiam Solem non occisurum priusquam omnia, quæ supersunt dicenda, planè absolueris, proinde ne frustra tempus conteramus, nunc perge de propositis decoctis sermonem habere.

De decoctis, quibus Aegyptij tum in sanis, tum ægrotis corporibus vtuntur. Cap. III.

ALPINVS.

PAVCA sunt decocta, quæ frequentare illos medicos noui, attamen qualiacunque ea sint tibi etiam exponere minime grauabor. In frequentissimo vsu ibi est decoctum, chaoua appellatum, quod ex quibusdam seminibus nigris, fabas imitantibus parare consueuerunt. Duobusque modis ab ipsis parari solet; eorum enim alij decoctum faciunt ex seminum nuper dictorum tunicis, seu folliculis, & alij ex eorundem seminum substantia, quod ex folliculis paratur, efficacius quàm ex seminum substantia elaboratum prædicant. Semen hoc bon vocant, arboremq; ipsum ferentem vidi in quodam Turcæ Bei viridario ex Arabia delatum, quæ euonomo maxime similis erat. Illiusce decocti facultas est frigida, & sicco, quo ad primas qualitates temperata, cui etiam mista est caliditas, quando illa semina ex duplici substantia constent, altera crassa, & terrea, qua cogunt, & roborant, altera

calida

calida in tenui substantia fundata, frigidaque modice præualenti, qua calfaciunt, abstergunt, obstructaq; aperiunt. Horum decoctum cichorei decocto gustu proximum est, quod tamen ipso valentius obstructa liberat. Cum ego animaduertissem mulieres, quibus cæperint fluere menses, ad eos adiuuandos de eo calidiori semper paulatim multum sorbilliare, apud illasq; omnes ad iuuandam eam vacuationem in vsu esse frequentissimo, cæpi, illa perdoctus experientia, in omnibus, illo vti, quibus aliquam ob causam eorum purgatio menstrua destitisset, quod quidem felicissime multis euenisse vidi, exindeq; didici hoc genus remedij pro euocandis menstruis ab vteri obstructis venis, esse præstantissimum: Post vniuersalem tamen corporis vacuationem, mane ieiuno stomacho istud decoctum assumptum efficacissime menses prouocat, temporeq; quo multis cum vehementibus doloribus minutæ difficulter exeunt, eis præsentaneo est auxilio. Parant autem illi hoc decoctum, sumentes nucleorum illorum seminum, à folliculis mundatorum libram vnam, & mediam, eaq; parum igne torrefaciunt, contostaq; bulliunt in aquæ lib. viginti, alijs sinentibus nucleos prædictos torrefactos, ac minutim cõfractos per diem infusos in aquam manere, atque alij nulla præcedente infusione eos bulliũt ad consumptionem medietatis; percolatumq; decoctum ad vsum seruant in fictilibus vasis vndiq; clausis. Eodem itidem modo parant decoctum ex seminum folliculis, in minori tamen quantitate sumptis. Pro quo parando accipiunt alij prædictorum folliculorum sex vncias, atque alij nouem, in librisq; viginti aquæ fontis ad consumptionem medietatis ipsum coquentes. Hos decoctum stomacho summopere conducit, id ij valde calidum, & efferuescens, ieiuno stomacho paulatim sorbentes, potant ad ciathi mensuram, & eo amplius. Vt autẽ vino in œnopolijs siue tabernis nostrorum multi ebrietatibus dediti indulgere obseruantur, sic illi caoua decocto delectantur, eiq; indulgent. Aliud decoctum apud illos vsitatum obseruatur, maglub, appellatum. Multę ibi medicæ officinæ existunt, quæ in ea vrbe nihil quidem aliud, quàm ipsum vendunt, eius quotidie mane ieiuno stomacho semilibram propinant, quod stomachum maxime iuuare aiunt, ipsum calefaciendo, concoctionem adiuuando, flatus dissipando, atque obstructa aperiendo. Ipsum parare volentes, accipiunt seminum fæniculorum, radicum glycirrhizæ contusarum, an. unc. ij. s. cucumerum. s. altheæ,

an.dra.1.iuiubas nu.quatuor,aquæ fontis lib.iij.bulliuntq; omnia simul ad cõsumptionem medietatis, & colatum cum saccharo exhibent. Habent quoque ij nonnullas sorbitiones, quæ refrigerant,nutriunt,obstructiones tollunt, ac roborant. Harumq; omnium hæc est illis familiarissima,quã mastahaleb vocant, quæ quidem in febribus omnibus prestantissimum est remedium,maxime verò ad sitim extinguendam,caloremq; febrilem minuendum,atq; non minus ad vrinam prouocandam. Hanc potionem in lateris inflammatorijs doloribus maxime frequentant, quam sic parant, sumentes seminum melonis, abdellaui vocati,vnc.iiij.hæc etenim cæteris omnibus plus refrigerare creduntur, semin. anguriarum, cucurbitarum,cathè cucumeris,an.vnc.1.liquiritiæ mundatæ radicis,sacchari candidi,an.unc.1.s semin.fæniculorum, vel anisorum,dra.iij.contundunt in mortaria minutissime omnia, quæ petia linea ligant,ex qua aqua rosacea irrorata lac exprimunt,quem ægrotis propinant. Hoc genus potionis sic communiter omnes parant,cuius facultatem variãt,varijs additis medicamentis,prout variorum morborum, & causarum vsus poscere videtur. Siquidem in ardentibus febribus,in quibus maior refrigeratio desideratur, prędictis addunt semina endiuię, lactucæ, psyllij, portulacæ, alborumq; papauerum,atque vbi etiam simul flatus dissoluere cupiunt,addunt,coriandri, Dauci, fęniculi, & anisi semina,atque alia etiam,quibus flatus dissoluere datum est. Itidemq; dolores mitigare volentes,mastahaleb cum seminibus etiam altheę, maluarum meliloti,fænugręci,lini,sesami, melochię,bammię,parant. Ad eosdem quoque dolores mitigandos decocto ex camomeli,meliloti, ban,cassię fistulę,atque aliorum floribus parato vtuntur. Mastahaleb etiam faciunt sępissime,priori addentes micam panis, vel lac amygdalarum dulcium ex Gaza aduectarum,quia eas quàm aliorum locorum amygdalas minus calfacere opinantur,vocantq; ipsa lanz Gazaui, quam potionem in acutis morbis pro cibo multi frequentant. Aliam parant,quę nutrit,ac refrigerat sumentes furfuris tritici pug iij.quam ter aqua abluunt, eamq; abijciũt,rursum in noua aqua ipsa eodem modo lota,aquam cum modico sacchari candidi,ac aqua rosacea parum bulliunt,quam sic paratam calidam febricitantibus bis in die pro prandio, & cęna exhibent, alij addunt lac variorum seminum refrigerantium,prout vsus expostulat. Alij eam in aurora modo serapiorum sumunt, hęc alit, refri-

gerat,

gerat, abſtergit, aperit, ſitimq; extinguit. Eſt alia Taluina ab ijs vocata, quam parant capientes fermenti optimi ex farina triticea ſemunciam, atq aquæ roſaceæ libram, quam addito ſaccharo candido, aut lacte amygdal. vel ſeminum frigidorum, parum ebullientes, parant. Eſt etiam ſauich apud omnes familiariſſima potio pro alendis febricitantibus, quam etiam hoc modo parant, accipientes modicam farinam hordei torrefacti, quam cum aqua roſacea diſſolutam multum bulliunt, cui poſtea ſaccharum candidum permiſcent. Non pauci in uictu vtuntur farina amygdal. dulcium cum aqua roſacea bullita. Superius quoque dictum eſt illos in febribus ſequi berberorum decoctum, vel infuſum, cui, interim addunt pulpam tamarindorum, aliaq; ſemina, prout varius in ijs medendi vſus expoſtulare videtur. Non minus etiam in ardentibus febribus ſeminum pſyllij, atque citoniorum mucilagine vti ſolent. Pro potu vero non in ægrotis modo, verum multo magis in ſanis corporibus hanc potionem frequentant, quæ ſitientibus eſt iucundiſſima, quam ſarbet, quaſi potum per excellentiam vocant, illud etenim nomen, potum, ſimpliciter explicat, ipſam parant, in aqua multa ſaccharum diſſoluentes, eiq; admiſcentes tantum limonum ſucci recentis, quantum modice aquam acidam reddere queat. Hanc aquam in æſtiuis caloribus omnes libentiſſime potant, tum ad ſitim extinguendam, tum ad refrigerandum. Nobiles Aegyptij, & Turcæ addunt modicum, moſchi, vel ambræ. Pro ægrotis febricitantibus, in aqua interim roſacea, vbi febres non carent malignitate, interimq; in aqua endiuiæ febribus ardentibus obſeruatis hunc potum parant. Antiqua conſuetudine ibi nobiles Aegyptij, ac Turcæ ſuis in domibus aduenas honorare volentes, perinde ac noſtri Lombardi vina optima, ſic ipſi iam dictum potum propinant. Ibi etiam in vſu frequentiſſimo ſunt anguriæ uel Naui, vel batech elmuia vocatæ, quæ nihil præter aquam, & ſemina continent. Domini, vel primates magnam, ac optimam anguriam accipiunt, in ipſaq; foramen faciunt, per quod muſchum, ambram cum modico roſaceæ aquæ diſſolutam intus inijciunt, aquæq; anguriæ permiſcent. Hęc aqua mirę voluptatis eſt omnibus ſitientibus, febricitantibusq; iucundiſſima, atque vtiliſſima, quia refrigerat, humectat, aperit, vrinamq; valenter mouet. Hac in renum, iecinorisq; caloribus omnes vtuntur. Hoc tamen mali ijs, qui eam frequentant, facere obſeruatur, quippe aquoſas maximas hernias

parit. Decoctum quoque ex chinę radicibus paratum Aegyptios sequi dictum est, tum ad luem gallicam, cuius non minus quàm Itali ac alij, Aegyptij diuites sunt, pellendam, tum ad hepatis sanguinisq; calores corrigendos, tum maximè in longis tertianis, atq; in corrigenda corporum gracilitate. Est etiam in vsu non minus ad firmandos quoscunque fluxus ex vtero, alterata tamen acacia, licio, dactilis immaturis. Atque hęc fuere decocta à me ibi apud eam gentem obseruata. Transeo iam ad syruporum vsum, atque ad medicamenta quibus purgandi gratia vtuntur.

De syrupis apud Aegyptios vsitatis. *Cap. IIII.*

ALPINVS.

SYRVPIS non secus quam nostri, Aegyptij sani, atque ęgroti vtuntur, diuites omnes varios syrupos domi paratos habent, quos aquę dissolutos in ęstiuis caloribus deuorant, Vsitatiores uero apud eos sunt violatus, acetosus, oxymel, rosatus ex simplici infusione, vel ex decocto paratus, nenupharinus, de pomis, de citro, de limonibus, de omach, quod est medium inter citrum, & limonem, de moris acidis, de mirtho, de sandalo, de ligno aloe, atque de dactilis immaturis. Quos omnes tum in solida forma, tum liquida parare ij solent. GVILAND. Memini aliàs ex te intellexisse, illos medicos syrupos ęgrotis exhibere, non ut nostri faciunt in aurora, sed ad ęgrotantium, assidentiumq; libitum omnibus, si libeat, horis, parum syrupi mistum aquę exhibentes. Qui quidem vsus quantum sit laudandus, vel non, aliàs aperuimus. Omnes ferè hos syrupos scio nostros etiam medicos sequi, prętер syrupum, de sandalis, de ligno aloe, atque de dactilis, quibus nos planè caremus, proinde hos mihi tantum narrato. ALPIN. Parant syrupum ex sandalis hoc modo, capientes sandalorum alborum modice flauorum, drag. 10. contundunt crasso modo, & duobus diebus, in unc. vj. aquę rosacę, infundunt, posteaque colant, & colatam aquam seruant. Deinceps idipsum sandalum in tantundem aquę rosacę bulliunt ad medietatis consumptionem, mistaque simul aqua infusionis cum aqua decoctionis in ipsa dissoluunt sacchari optimi libram, atque coquunt, dum consistentiam syrupi adipiscatur. Parant uero ex ligno aloe,

acci-

accipientes illiusce ligni optimi, seminum balsami à folliculis mundatorum, an. dra. 2. spicæ Indæ, gariophyllorum, nucis muschatæ, mastiches, an. dra. 1. omnia crassiori modo contundunt in tenuissimóq; lineo panno albo obuoluunt, ligant, atque infundunt in libram aquæ rosaceæ, mox decoquunt vsque ad tertiæ partis consumptionem, atque in colatura dissoluũt sacchari optimi libram, rursumq; quod satis est coquentes, syrupum conficiunt, cui postea addunt muschi orientalis chirat. Hic syrupus calfacit omnia membra, præsertimq; stomachum, & cerebrum, eaq;, & cor valde roborat, stomachus ad concoquendum eo robustior fit, ex quo etiam haud immerito experiuntur, laxiori facto summopere conducere, atque non minus cordis palpitationi, resolutis, conuulsis, asthmaticis, atque alijs morbis itidem maxime subuenit. Ex dactilis vero faciunt sumentes succi dactilorum immaturorum lib. ij. s. succi granatorum acidorum lib. 1. sacchari optimi, lib. quinque, ex quibus secundum artem faciunt syrupum, quo frequentius vtuntur ad ventriculi intestinorumq; relaxationem, atq; ad sanguinis fluxum, maximeq; ad cruentas expuitiones. Hæcq; de Aegyptiorum syrupis erant dicenda, tempusq; est, vt de purgantibus medicamentis, quibus ij vti consuescunt, nunc etiam loquamur.

De purgantibus medicamentis à medicis Aegyptijs vsitatis. Cap. V.

GVILANDINVS.

IBENTISSIME purgantium medicamentorum, quibus ibi ij medici vtuntur, vsum ex te audiam. Etenim illos plura ex his familiaria habere, nobis fortasse incognita, ac noua, quæ nostris quoque medicis valde accepta erunt, tuq;, atque alij multi in Occidentalibus Indijs nouerunt plura medicamenta, ex Aegypto quoque quodpiam nouum purgans medicamentum ex te cognitum nobis asportatum. ALPIN. Neq; multa ibi purgantia medicamenta noui, quæ ob aliquam singularem facultatem, atque præstantiam digna tuis auribus putem. Aegyptij siquidem medici, vt aliàs etiam à nobis dictum est, medicinæ haud perfectè incumbunt, quòd ea apud illam gentem in viliori

pretio

pretio eſt, proinde in ijs locis pleriq; medici empirici exiſtunt, qui ſi quid boni in medendo habent, hęreditate potius à priſcis medicis ipſis relictum, quàm ſcientia acquiſitum poſſident, ex quo non miraberis in ijs locis medicamenta plura noua non fuiſſe inuenta. Dicam tamen, quæ ibi hiſce annis eam gentem pro moliendis corporum purgationibus exercere ac affectare cognouerim. Medici vero ij, quo ad purgantium vſum, Cayri duplici ſecta interſtincti ſunt, ſiquidem plerique illorum, quique medicinam in nobiles exercent, ſic in purgando ſe gerunt, vt ab omnibus ſoluentibus fortibus abſtineant, timentes in regione ſumme calida, corpora à valide ſoluentibus nimis calfieri, vacuari, reſolui, atque labefactari, quare abſtinent ab vſu ſcamonij, turbith, ellebori vtriuſque, cataputię, mezerei, eſulę, cucumeris aſinini, brionię, cyclaminis, colocynthidis, atque aliorum huiuſmodi. Horum vſu certe ea corpora valde incaleſcerent, purgarentur, & reſoluerentur, pręſertimque quod ex te audiui, ibi pleraque corpora eſſe temperata, habitusq; moderate carnoſi, pinguis, & mollis, quę quam facilè, & multum reſolui Gal. in lib. 10. atque etiam 11. meth. med. memorię prodidit, quod facilè humidum per latiores poros cutis diffluat, ac reſoluatur. Addo pleroſque illorum ſtomacho languidiori conſtare, tum ab vſu frigidorum ciborum, tum a potu aquæ, veneriſque ab vſu immoderato. Itaque rectè faciunt medici illi abſtinentes ab vſu valide ſoluentiũ, quia omnia valide ſoluentia calidiſſima ſunt, multumq; caloris natiui reſoluentia, vt Gal. in lib. de purg. med. facul. teſtatum reliquit. Sed quid clarius Hippocrate? qui ſcripſit: Sub cane, & ante canem moleſta ſunt purgantia medicamenta. Aeſtatis vero ambientis caliditatem idem atque calidæ regionis calidam tẽperiem pollere, nemo ignorat. Non cõfirmauerim tamẽ vtique id verum eſſe, cum magis crediderim illos haud parum errare, in nobiles omnes vſum lenientium potius quàm purgantium medicamentorum exercentes. GVILAND. Quid inquies illos in regione ſumme calida abſtinentes in purgandis corporibus à valide ſoluentibus medicamentis errare? vide ne tu quoque hac de re ſis accuſandus, atque in maiorem errorem labaris. ALPIN. Si potes parumper pati, vt quod ſentio loquar, id forſitan haud ita certe affirmabis, atque nos eiuſdem ſententiæ eſſe cognoſces. Itaque dico non in hoc ſtare medicorum Aegyptiorum errorem, quod ibi abſtineant ab his fortibus ſoluentibus, hoc enim nun-

quam

quam ausus essem affirmare, sed quòd ij nõ modo à fortibus abstineant, sed ab omnibus soluentibus. GVILAND. Quid rursum affirmabis, an nõne solent illi ibi corpora aliquando purgare? qui si id faciunt an non medicamentis soluentibus id prestant? ALPIN. Purgantur quidem in Aegypto pleraque corpora medicamentis sic debilibus tum qualitate, tum quantitate, vt humores noxij à stomacho, vel primis venis debiliter moueri queant, quæ profectò lenientia magis quàm purgantia vocanda sunt. Ea verò huiusmodi esse solent, quippè cassia Aegyptia, quæ ibi copiosa prouenit, manna, Tamarindi, syrupus ex granatis dulcibus soluens, de manna, hæc sunt ijs in purgando maximè familiaria, atque in vsu frequentissimo. Rarissime soluentibus vtuntur, atque in modica, si ijs vtantur, quantitate, qualia sunt rhabarbarum, mirabolani, sena Mechina, Agaricus, & alia. His aliquando vtuntur, sed in exigua adeo quantitate, vt potius humores mouere, quã educere queant. Nemo, quidem rhabarbari dragmam vnam cum dimidia transcendit, vel dragmam agarici, quibus tamen rarissime vtuntur, quia tormina concitant, interim, quod rarissime contingit prædictorum, aut senæ, aut mirabolanorum dragmam cum vncia mannæ, miscent, vel cum tantundem syrupi ex manna parati, vel syrupi ex granatis dulcibus solutiui. His medicamentis loco valide purgantium vtuntur, putantq; sic se purgare posse humoris exuperantis copiam, quod tamen non assequuntur, quia plerique utuntur nuper dictis lenientibus absque vllo soluente, rarissimiq; sunt, qui vtrisque commistis, vti velint. Quibus quidem exuperantes humores plurimum mouent, parumq; vacuant, qui non vacuati tum in venas exiles ex motione inculcati, ipsas obstruere possunt, tum, quod peius est, ad nobilia viscera decurrere possant. Sed hìc quoque plures medicos Aegyptios reperiri certo scio, qui hoc modo purgantes humores interim præualido pharmaco purgandos, lenitorio mouentes, modicumq; ex his ducentes sæpius in causa fuere, ut multi putridis febribus correpti obstructionibus ex humore vi medicamenti per venas attracto, & non vacuato, adauctis, aut alijs è nouo exinde concitatis, perierint. Aegyptij itaque, vt ad rem nostram nunc redeamus, quanquam corpus ipsis sit purgandum, quod vel articulorum doloribus vexetur, vel asthmate, vel vertigine, vel alio morbo, validiori purgatione indigente, vnciam mannæ, vel cassiæ cum saccharo, vel syrupi è manna, aut ex granatis dul-

tis dulcibus, binas vel tres vncias exhibēt, qui tamē plurib. vicibus purgant, quotidie, alij, & alij alternis saltem diebus, alij vero horum vice, quod tamen rarissime faciunt, & multo cum timore, vel rhabarbari, vel agarici, vel senæ, vel mirabol. dragmam offerunt. Multos ego ibi noui febricitantes in eodem morbo pluribus vicibus mannæ, aut cassiæ, vel libras sumpsisse, minime tamen sanatos, qui mox semel tantum præualido purganti medicamento plurimum purgati statim sani euasere. Sed his omissis, tempus est, vt sigillatim de prędictis medicamentis, quibus ad purgandū eo modo illi vtūtur, sermonem habeamus, eaq; primum narremus, quia multa ab his super sunt disputanda de illorum purgandi usu. GVRLAND. Rectè putas, atque à Cassiæ Aegyptiæ narratione exordire. ALPIN. Cassia fructus est omnibus notissimus, de quo copiosius in alio libro dicemus, ipsius duę obseruantur differentiæ, quarum altera ex loco, in quo nascitur, colligitur, quando cassiæ alię Cayri, alię Damiatę, & alię Alexandrię proueniant, ex quibus locis uarijs aliquam etiam bonitatis differentiam prę ferunt. Quę Cayri proueniunt atque Alexandrię, omnium sunt optimę, dupliciq; differentia obseruantur, siquidem alię colore nigro rubescente, qualis in Abissinis visitur, atque alię nigrę cernūtur, illę his meliores existunt, abissinęque ex colore gentis, uocantur. Vtręque sunt in frequenti usu, corticeque constant tenuiore. Quę uero Pelusij, nunc Damiatę, colligūtur, omnium minime utiles creduntur, quia sunt corticis crassioris, modicumque pulpę habent, atq; etiam minus ad soluendum efficaces reperiuntur. Quare ex cassijs Abissina cęteris omnibus meritò magnitudine, tenuiori cortice, multaque substantia, atque efficaciori soluendi ui prę fertur, hac nigra Cayrina inferior est bonitate, & omnium minime Damiatina, quę parua, crassiori cortice, nigriorique colore cernitur. E siliquis extracta pulpa ibi omnes libentissime utuntur in omnibus morbis, ac symptomatis à flaua, atque exusta bile obortis. Etenim ipsam per os sumptam sanguinem, calidosque, ac exustos humores educendo atque obtundendo, refrigerare, purioremq; sanguinem facere opinantur; stomachum etiam a quibusuis excrementis ipsa exonerari multiplici experientia apud eos compertum est. In calidis distillationibus ad pulmones, uel thoracem prolabentibus summa cum utilitate eam frequētant, interim solam, interim mannę, ac saccharo candido, uel oleo amygdalarum dulcium mistam,

quam

quam sic paratam, atque simplicem renes, & veficam summopere iuuare experiuntur. Mannæ vero, qua illi vtuntur, quatuor ibi obseruantur differentiæ, quarum prima est similis grano mastiches, quam nostri mastichinam appellant: Secunda est adulterata ex amido, saccharo, & modico mannæ mastichinæ, eaq; existit, quam nostri vocant bombacinam. Has duas mannæ species Aegyptij, atque Arabes Siracost nũcupant. Tertia, (tereniabim ab ijs dicta) est rubra, granellosa ex Armenia asportata. Quarta est quidam liquor, vt mel, qui interdum condensatur, colligiturque supra arbores montis Synai in Arabia deserta à Reuerendis monachis Caloieribus, eum montem habitantibus eamq; consulibus, Cayri degentibus illi offerunt, quid magnum ipsis donare opinantes. Hanc vocant terengibil. Vsus cuiusuis dictarum specierum non differt à nostrorum medicorum vsu. Apud illos maximè commendatur mastichina, quę ad purgandos omnes humores in vsu frequentiori habetur, præsertimq; in affectibus pectoris à calida causa concitatis, & in siticulosis. Namq; ipsam inflammationes mitigare, febriumq; calorem, atque sitim extinguere, atq; aluum mediocriter subducere, testantur: Eius uero quantitatem idoneam sic metiuntur, vt pro singulo anno dragmam exhibeant ascendunt vero in totum vsque ad binas, vel ad plus ad tres vncias in adultis. Tamarindi non minus apud ipsos in vsu existunt, quàm sit cassia, & manna. Quorum duplex genus ibi obseruatur, alterum, quod ex regione Sahit defertur, atque alterum ex India, hoc altero bonitate præfertur. Indosq; tamarindos bazzi appellant. His Aegyptij vtuntur frequẽtissime in morbis calidis, siccisq; à flaua bile ortum ducentibus. Siquidem hunc humorem commodè ac iucunde vacuant, sitimq; omnium maximè extinguunt. Ipsis vero vtuntur infusis, infundunt enim ipsos in aqua simplici fluminis Nili, vel stillaticia cichorei, vel endiuiæ, uel sonci, vel alterius huiusmodi qualitatis per septem horarum spaciũ, aquamq; percolatam cum saccharo, febricitantibus siticulosis propinant. Non desunt, qui subitò infusis tamarindis exemptis, aquam cum saccharo epotant. Pauciſſimi sunt, qui eos bulliunt, uerum non nisi binis, uel tribus ebullitionibus. ibi quoque tamarindi non secus quam nuces muschatæ, aliaque aromata, condiuntur, saccharo conditos assumere consueuerunt, qui sunt etiã gustui iucundissimi, commodeq; biliosos humores purgant. Sic conditos plures secum in longis itineribus

ribus deferre ſolent, præſertimq; per deſertæ Arabiæ loca iter facturi, quando iter facientium corpora ex longo itinere, ſolis calore inflammata, vſu tamarindorum iuuentur, quoniam ipſis nõ modo ſuſceptum calorem contemperant, uerum etiam, quod non ſic facile eſt iter facientes per ea loca arenoſa, ac à Sole inflãmata homines a ſitim non cruciari, ſitim extinguunt. Sæpe etiam tamarindis fructus berberis addunt, ubi præſertim roborare, ac adſtringere volunt, quæ duo ſeiunctim in aqua infundunt, moxq; vtriuſque ſimul miſtum infuſum propinant ei ſæpe addentes mannam maſtichinam, uel terengibil, in petiam ligatum, hæcq; potio iucunde aluum ſubducit, a biliofisq; humoribus exonerat. Frequentant non minus ſyrupum ſolutiuum ex granatis dulcibus paratum, quorum ſuccum ibi habent dulciſſimum. Parant uero ſyrupum iſtum, capientes eius ſucci dulciſſimi libram unam ac mediam, quem bulliunt ad conſumptionem tertiæ partis, cui alij mannam, alij amidum, alij penidia, alijque iulep addentes, ſyrupum conficiunt. Vt plurimum uero parant accipientes ſucci illiuſce ebulliti libram, mannæ maſtichinæ libram ſemiſſem, iulep uiolati, unc. 4. Quæ miſcentes ſyrupum conficiunt. Hunc dicunt aluum lenire, biliioſos humores uacuare, atque ſanguinem refrigerare. Vtuntur etiam ſyrupo ſoluente ex manna parato, quem parant ex mannæ dragmis centum, aquę dragmis quinquaginta, mellis deſpumati dragmis decem, parumq; ſimul bullientes, ſyrupum conficiunt. Prædictorum ſyruporum exhibent adultis uſque ad tres uncias. Hęc igitur ſunt medicamenta, quę ad purganda nobilium corpora in uſu frequentiſsimo apud eos, qui ſe primates medici profitentur, atque uera purgandi methodo uti opinantur, exiſtunt. Dicunt enim ijs ſe corpora blandiſsime purgare, adprimeq; hunc purgandi modum ijs corporibus conducere, nihilque noxæ inferre. Vbi uolunt inſignem aliquam moliri purgationem, uncię mannę addunt binos ſcrupulos, uel ad plus dragmam rhabarbari, uel agarici, uel ſenę, uel mirabolanorum. Interim uero prędictorum purgantium medicamentorum dragmam cum ſaccharo roſaceo miſtam exhibent. Hos medicos ijs blandioribus medicamentis corpora nobilium purgantes, ueram medendi artem callere ciues omnes, ac nobiles exiſtimant, hosque prędicant, atque uſque ad ſydera ipſorum pręſtantiam tollunt. GVILAND. In memoria habeo iciuno, ut ita loquar, purgandi modo, priſcos illos, doctiſ-

ſimoſque

ſimoſque medicos cæpiſſe vti, non vt illũ ex arte optimum crederent, ſed vt multas contumelias uitarent, quibus rectè medentes ſæpe, vt vſus requirebat, illorũ corpora purgantes validioribus medicamentis, ab illa barbara gente afficiebãtur. Nã inſignes purgationes illi damnabant, quæ ſi aliquando quibuſdam torminibus ijs medicamentis operantur, veh miſeris illis medicis, quorum aliqui vel verbera etiam in mercedem accipiebant. Hincq; blandis illis vti medicamentis ipſi cæperunt. Hocq; non ex te tantum ſed ex pluribus alijs, dum Cayri olim moram facerem, audieram. ALPIN. Hic ieiunus purgandi corpora vſus, apud primates medicos, vt iam dictum etiam eſt, qui nobilibus tantum medentur, in vſu eſt frequentiſſimo, quem ij omnes libenter ſequuntur. Alij vero, & non pauci in vrbe Cayri exiſtunt, qui oppoſito modo corpora purgant, hi etenim corpora non niſi præualidiſſimis purgantibus vacuant, qualia ſunt ſcamonium, colocynthis, multaq; ſemina validiſſime purgantia, quæ apud eos in maximo ſunt vſu. Quæ medicamenta in magna etiam doſi audaciſſime plebeis, ruſticisq; concedunt. In vſu apud aliquos ſimiles empiricos, & audaces medicos quædam ſemina exiſtunt, quæ immodice per vomitum, & per ſeceſſum purgant, ſuntq; his omnibus vſitatiora, quædam minutiſſima caulium ſeminibus proxima, ex his enim vnciã, quę eſt commun is adultorũ doſis, craſſo modo contũdunt, ex quibus cum aqua miſtis maſſam conficiunt, quam ęgrotis deuorandã offerunt, hoc enim inopũm remedium eſt, quod non ſecus quàm antimonium valide purgat. Cuidam mulieri Turcę publice per eam vrbem pro mulieribus hyſtericis medicinam facienti, hęc ſunt familiariſsima, quibus dicitur multas diuitias ſibi ipſam parauiſſe, apud omnesq; creditur doctiſſima. Fateturq; ſe morbos mulierum omnes rectè ſanare poſſe, virosq; minus illorum morborum cognitionem habere poſſe, quod non liceat ipſos oculatim pudẽdorum partes omnes mulierum ſedulo obſeruare, ex quo ignorant ſępiſſime multorum vterinorum affectuum cauſas. Hanc mulierem, medicam ipſe noui, mihiq; fuit ualde familiaris, pulchraq; atque perliberalis uiſa eſt, noſtrisq; ſatis perbenigna ac faceta. Aliqui ſemine utuntur abdelmeluth vocato, quod pręſtantius quàm cataputia purgat, & aliqui ſeminibus abdeleherua appellatis, quę ſunt ricini Arabici ſemina, alij ſcammonium exhibent uſque ad dragmam, alij vtroque elleboro pręſertimq; nigro, coloquinthide, turbith,

bith,& alijs huiusmodi generis,quę ualidissime purgant. Sed iam hoc empiricorum vsu,prçualide purgantium, sermonem claudamus. Ex quo animus cupidus effectus est, dignoscendi ex te, an in curandis morbis longis,contumacibusq; laudabilior sit usus leniter ac benigne purgantium,quàm eorum,quę prçualide purgãt. Quando sapientiores medici leniter purgantium,quę medicamenta benedicta appellant,usum libentius sequãtur,quàm ualide purgantium,dicantq; corpora nunc non sic, ut olim esse robasta, quę ualida medicamenta ferre queant: atque è contra antiquiores ac eruditiores,ut Hippoc. Gal. Auicenna, atque alij ualidorum medicamentorum usum semper secutos fuisse ipsorum monumentis planè constet,non minusque hoc tempore sępe ignara muliercula,quem nunquam plures doctissimi medici medicamentis benedictis sanare nequiuerunt, unica nuperdictorum prçualidorum medicamentorum medicamento, curarit. Qua in re ualde ancipiti tuę opinioni aquiescere uolo, quam nunc audire, & cognoscere ex te summopere expecto.

Vter nobilium, vel plebeorum Aegyptiorum purgandi vsus sit laudatior, siue an purgando medicamenta leniter vacuantia præualidioribus præstent. Cap. VI.

GVILANDINVS.

VTRVMQVE purgandi vsum Aegyptiorum inutilem iudicandum censeo,quando neque lenientibus,benedictisque appellatis illis medicamentis corpora omnia rectè purgari possint,neq; minus imbecillium,mollium, pinguium, rariq; habitus corpora ualide purgantibus tuto uacuentur, facile siquidem ipsa ab his nimium resoluuntur. Exindeq; neuter illorum purgandi vsus mihi laudandus planè uidetur. ALPIN. Hinc nobis data occasione,libenter ex te intelligerem, cum tu apud antiquos celeberrimos medicos medicamenta in usu fuisse ad morbos curandos ualidissime purgãtia,cognoris, qualis fuit uterque elleborus,scamonium,colocynthis,peplium,atque alia huiusmodi, nunc

di,nunc uero non modo in Aegypto, ſed in toto terrarum orbē plerique medici vſum leniter purgantium libenter frequentant, vtrum valide purgantium medicamentorum vſus, leniter purgantium vſui in morborum curatione prēſtet. GVILAND. Mirabar mihi tam arduam inter medicos litem reſoluendam nunc indicaſſes, quaſi meos humeros, quid uis ponderis geſtare poſſe arbitreris. Nolo tamen hunc laborem ſubterfugere, quo te tantopere meo iudicio delectari nunc ſciam. Itaque mea hac de re hæc erit ſententia, quam non audies, niſi prius aliqua clarioris cognitionis gratia tibi prædixero. ALPIN. Rectè ſanè, nam ſine aliqua diſtinctione non poſſe reſolui quæſitum puto. GVILAN. Id ipſum arbitror prænoſcendum, etenim iam nouimus prēualida medicamenta robuſtis corporibus conuenire, minimeq; imbecillioribus, quanquam eos ipſa morbi quoq; magnitudo poſtularit, eodem itidem modo leniter purgantia robuſta corpora parum iuuare affirmādum erit. vidi enim multos ab aſſumptis leniter purgantibus, nihil aut parum purgatos fuiſſe, & aliquos etiam ex purganti pharmaco non inualido parum deiecisſe. Quamobrem non omnibus corporibus eadem purgantia conuenient, ſed varijs vtique varia, vt Gal. in 4. de rat. vict. in morb. acut. teſtatum reliquit, quandoquidem corporum habitus, temperamentum, ſexus, ētas, victus, cēlum, anni tempus, varia purgantia admittunt. Cui etenim dubium, corpora habitu pingui, ac carnoſo, difficilius purgari, quam gracilia: & frigidi temperamenti exiſtentia, quam calidi, & denſi habitus, quàm rari, & duri quàm mollis, & rarioris molliorisque qualia ſunt puerorum, valde à medicamentis reſolui, & quæ frigido conſtant temperamento, quàm calido facilius ferre ea medicamenta, proinde ualidiora pharmaca requirere, & calida corpora prēter quam, quod citius reſoluūtur, magis etiam ab his reſoluuntur. Zarotus Zarotus medicus doctiſſimus, mihi olim affirmauit, cum in Tranſyluaniæ locis aliquot annis diuerſaretur, quamplurimos non niſi à prēualidiſſimis medicamentis vacuatos obſeruauiſſe, ex quo ipſe non niſi prēualida purgantia ibi in omnibus eorum locorum accolis medendo exercuiſſe dixit. Eodem quoque modo mulieres molles, ac rari habitus, pluſquam viri a purgantibus medicamentis labefactantur. Atque ex ētatibus pueritia, & ſenectus difficilius purgationes ferunt. Itidemque crapulis indulgentes, difficulter purgantur. In cœlo itidem calidiori omnibus cor-

poribus purgationes difficillimę existunt. Hippocratesque hinc dixit, sub cane, & ante canem molestas esse purgationes. His itaq; præauditis, rem propositam facilius resoluemus. Omnibus igitur corporibus, ex quacunq; causa facile resolubilibus, præsertim in calido cœlo degentibus, medicamenta leniter, & non valide purgantia conducent, ex quo, illos Aegyptios, qui purgando nuperdictorum seminum, & aliorum validorum purgantium vsum frequentant, etrare cognoscimus. ALPIN. Igitur vsus purgandi olim priscis medicis familiaris, vtebantur enim ij ad purgandum scammonio, colocynthide, elleboro, peplio, atque alijs validissimis purgantibus, illo, quem nostri nunc medicamentis benedictis appellatis exercent, minus vtilis censendus erit? GVILAND. Apud Hippocratem elleborum album fuisse purgans familiarissimum cuilibet nostrum notum est, quod in 2. lib. de fracturis, & quarto aphorism. manifestissime legitur. In lib. etiam 2. de rat. vict. in morb. acut. in pleuritide, vbi dolor aliquando ad hypochondria descenderit, vsum nigri ellebori, ac peplij commendauit, & Gal. in quartana febre album elleborum in lib. primo, ad Glau. vtilem esse docuit, etsi ipse in 6. lib. epidem. affirmauerit, ipsum esse violentissimum purgans. Familiaria Galeno medicamenta purgantia, vt potè quæ apud ipsum in vsu fuerant, sunt catapocia ex aloe, colocynthide, scammonio, ab ipso olim parata, quæ deuoranda dedit homini habenti linguam prætumidam, vt in lib. 14. meth. meden. legitur: atque etiam confecta ex aloe, colocynthide, scammonio, agarico, bdellio, & gummi Arabico. Quorum vsum in tussientibus à salsuginosi humoris distillatione ex capite ad pulmones, lib. 5. meth. summopere commendauit. Quæ quidem Catapocia, in libro de remedijs facile parabilibus, ad psydracia, atque alopeciam laudauit. hæcque composuit, vt in 3. lib. de remed. facile parabil. colligitur, ex aloes vntijs sex, mastiches, vntijs duabus, totidemq; absinthij succi; colocynthidis vntijs quatuor, hocq; medicamentum appellat catapocia ex aloe, & pararum ex aloe, colocynthide, scammonio, agarico, atque alijs; vocat hyeram διὰ κολοκυν θίδος. Hæc enim medicamenta validissime purgantia in vsu fuerant apud Hippocratem, & Galenum medicorum omnium facile principe. Hinc à nobis sciri potest, apud ipsos non medicamenta leniter purgantia, sed valide purgantia ad vacuanda corpora in vsu fuisse. ALPIN. Vera loqueris, sed ij benedictis appel-

tex. 27.
aph. 13. 14. 15. 16.
tex. 2.
cō. 3. tex. 29.
cap. 8.
cap. 14.

appellatis medicamentis a nobis cognitis carentes, cogebantur illis vti, quæ validissime purgant. GVILAND. Hoc uerum nunc concedatur, nihilominus in temperatis corporibus, quæ non ex multa copia, neque admodum ex tenacibus ac crassis humoribus ægrotant, validissime purgantia, simul cum humoribus carnem liquantia, bonæ humiditatis non parum educent, veluti in Cachochymis, malorumvè succorum, ubi multi impacti, infarctiq; sint, tenaces ac crassi succi in viscerum meatibus, leniter purgantia nunquam poterunt radicitus vniuersam purgare humorum copiam, Frustraque volentes multos in visceribus infarctos succos tenaces ac crassos educere, tentant illos leniter purgantibus vacuare, vel alijs à nostris medicis usitatis, quibus raro, uel nunquam morbum à multis, & tenacibus illis succis ortum, perfecte sanant: Quod uidere possumus in multis diuturnis febribus, quotidianis, tertianis, & quartanis. In istis sæpius obseruaui humores noxios ab assumpto leniter purganti, potius moueri, quam uacuari, pluresque sic ægrotantes his leniter purgantibus sæpe in eodem morbo deuoratis, potius fastiditos, quàm curatos uidi, quos sæpe quepiam indocta muliercula unico pharmaco ualidissimo, non sine doctissimorum medicorum dedecore, perfectè sanauit. ALPIN. Non omittam hoc loco historiam plane tua dicta confirmantem. Cayri erat Helena Christiana Cophta, annos nata triginta, cui à suppressis menstruis purgationibus caput sęuissimis doloribus lędebatur, eoq; ipsa molestissime cruciabatur, uigilijsq; assiduis cum assidua tussi, atque orthopnęna misera etiam detenta, quę uix recta ceruice respirare poterat, perdoctaq; ab amica muliercula, ac planè suasa, antimonij prępparati grana quinque deuorauit, à quo medicamento in primis uomitu multa cruda pituitosa, crassa, ac uiscida excrementa reiecit, & mox biliosa, uiridia, & tandem ęruginosa, atque atra multa, eadē per aluum deiecit, ex qua uacuatione statim sic bene se habuit, ut nocte tota insecuta dormierit, atque quieuerit, a tussi, orthopnęa, capitisq; dolore plane sanata. Pluresq; alios uidi ibi huiusmodi ualentibus purgationibus à morbis fere incurabilibus fuisse sanatos. GVILAND. Atque his malis nos non sic ex arte medemur, ut antiqui faciebant, utentes pręualidissimis purgantibus, uolentes potius noxiorum humorum copiam uacuare, etsi non sine ęgrotorum molestia insignes hę uacuationes operarentur, quàm ab ea naturam deuinci, & non tentata ualida purgatione,

gatione, ſincere exitium ſequi. Multi ex medicis reperiuntur, qui ęgrota corpora prę manibus habentes, à craſsis, tenacibuſque multis ſuccis in uiſcerum meatus, cauitateſve infarctis, curanda, dubitantes poſſe omnes illos humores uacuari, naturamq; ęgrotātium, uel uires non rectè pręualidum purgans perferre, prius ſinunt naturam copia humorum uinci, quàm purgationem tentare, uel experiri uelint, quod tamen poſtea ſępe uiribus morbo imparibus factis, non ſine maximo ęgrotātium detrimento facere coguntur. ALPIN. Fortaſſe hinc non ſemper abhorrendas pręualidas purgationes, colligitur, quinimo magis illas quandoq; ęgrotis multum conferre; Quod Hippoc. in primo lib. aphoriſm. docuiſſe uiſus eſt, cum dixerit: Deiectiones non multitudine ſunt exiſtimanda, ſed ſi talia deijciuntur, qualia conueniunt, & ęgri facile tollerant, atq; ubi uſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi ęger poſsit tollerare, & multo magis cum eiuſdem omnino ſententiæ Gal. in Commento fuerit cum dixerit, in maximis etiam inflammationibus, & uehementiſsimis doloribus nullum maius noui remedium, quàm uſq; ad animi defectionem euacuare, adhibita diſtinctione an mittere ſanguinem, an purgare oporteat uſque ad animi defectionem. CVILAND. Multos iuuaſſe inſignes, ac etiam immoderatas ualidiſsimis purgantibus pręſtitas uacuationes, non raro multis obſeruatum eſt. Plures inueniuntur, qui uel ſtibium præparatum, uel ęris infuſum ſumpſere, ut ab antiquis hepatis, lieniſque obſtructionibus ſanarentur, quibus per uomitum, & aliuum copioſiori facta uacuatione, priſtina ſanitas reſtituta fuit, qui nunquam potuere alijs uſi medicamentis leuiter purgantibus, ſanari. Ex quo forſitan ſuſpicandum eſt, apud Hippocratem, alioſque eius temporis medicos doctiſsimos, ueratrum album fuiſſe in uſu familiariſsimo, quod morbos breui tempore, ac perfecte humorum noxiorum multitudinem, uiſceribus, atque alijs internis partibus tenaciter adhęrentium, pręualida ui abſtergendo, euellendo, atque purgando ſanaret. At tu Hippocratis Galeniq; pręceptum in primo lib. aphoriſm. memorię proditum in medium quoque attuliſti, qui ambo docuerunt, corpora aliqua interdum etiam ad animi uſque defectionem purgari poſſe. Quorum ſentētia ſic omnes fere noſtros medicos diſtorſit, ac turbauit, ut plerique ipſorum nunc contendant, illiuſce aphoriſmi pręceptum Hippocrate dignum non eſſe, quoniam in ea non ſunt ſententia

aphor. 23.

aphor. 23.

tentia, ut innoxię posint corpora unquam ad animi defectionem purgari, neque id ex arte medicos facere vllo pacto debere affirmant, neque si fiat, tutum esse: Qui tamen, vt tantorum medicorum sententiam seruarent, plurima commenti sunt, alij siquidem dicẽtes, communi quadam ratione, & non proprie ab his dictum fuisse, vacuationem aliquando ad animi vsque defectionem moliri posse, & alij verborum seriem peruertentes, negant hæc verba, ad animi defectionem, in antiquis Codicibus reperiri, atque alij Hippocratis aphorismum corruptum fuisse affirmant. Quem sic quoque Galenum interpretatum fuisse, cuius mos est, sic vt iacent, Hippoc. textus ac verba commentari. Nonnulli etiam opinantur licere aliquando corpora purgari ad animi defectionem, at per defectionem, non exquisitam syncopim, quæ resolutis spiritibus fit, sed leuem quidem animi defectionem, quæ sæpissime assumptorum purgantium qualitate, vel ab humore acri, ore stomachi læso, vel etiam in intestinis, dum mucosi acresque humores ab ipsis euelluntur, atque transeunt, torminibus quibusdam concitatis, vel etiam à quapiam leui resolutione vacuatiouem insignem secuta, excitatur, qualem quisque nostrum in praxi in multis purgationibus aliquantulum maioribus, quàm par foret, vel à medicamenti, vel ab humorum qualitate infesta, in stomacho, vel intestinis angorem, vel tormina concitante, sæpissime obseruauit. Plures siquidem ab his causis etiam à non præualido purgante in syncopim sæpe labuntur. Hincq; fit, quod omne præualidum purgans aliquam defectionem pariat, aliqua spirituum resolutione facta, aut ab eius infesta qualitate; vti in elleboro, scammonio, stibio præparato, alijsque similibus medicamentis obseruatur. Vsum præualidi purgantis, vbi aiunt, ad animi vsque defectionem purgandum esse, Hippocratem atq; Galenum intellexisse, quale veratrum erat Hippocratis tempore, quo omnes semper cum vacuarentur, lipothymia aliqua corripiebantur. Omnesque medici stibium, æris infusum, sambucum, cameleam, scammonium, aut aliquod eiusmodi validissimum purgans exhibentes, præmonent ægrotos purgandos, fore à medicamenti vi præualida, atque ab eius infesta qualitate stomachi angoribus, torminibus, atque aliquando animi defectionibus medicamento cooperante, tentandos. Itaque per purgationem ad animi defectionem faciendam insignem, ac copiosam, quæ fit preualidissimo purganti, Hippoc. Galenumque

intellexisse multis hinc persuasum est. Quæ dum fit multi leui lipothimia corripiuntur. Neque alienum à ratione, & experientia esse puto, quosdam copiosis ac insignioribus his purgationibus iuuari posse, præsertim robustos, eas tolerãtes, maximeq; à vehementissimis inflammationibus, vel doloribus ex copia humorum exortis cruciatos, quippè copia molestantis humoris prorsus vacuata, dolores tolluntur, atque inflammationes sanantur. Et quanquam non æquè facile, perinde ac sanguinis missio, purgatio sisti firmarivè possit, nihilominus, non est ex his, quę fieri nequeũt, etsi quandoq; valde difficile, fluentem aluum firmare, ac sistere. Quapropter, vt tandem quæsitum dubium resoluam, in omnibus antiquis morbis, qui à tenacibus multis succis, obstructionibusq; viscurum pertinacibus, oriuntur, in tumoribus, suspiriosis, asthmaticis, in antiquis doloribus, præsertimq; articulorum, in chronicisque febribus, atque in alijs similibus morbis contumacibus, dummodo robur corporum admittat, præualidorum purgantium vsus, leniter purgantium vsui præferendus videtur. In debilioribus verò corporibus præualidas vacuationes ferre nequeuntibus res ex opposito creditur, siquidem his leniter purgantia magis cõferent, etiam si morbi causæ validum purgans exposcerent, non secus quàm in mittendo sanguine nos sæpe obseruamus, in ijs, quibus morbi ratione plurimum sanguinis esset vacuandum, viribus, vel ætate, uel alio renuente, sanguinem mittimus in pauciori tamen quantitate, qui tantum commodi illis affert, quantum nuper dictis debilibus corporibus leniter purgantia, si enim maximam ferre potuissent vacuationem, maius quoque eis commodum accederet, proinde iuuant, quæ non inopportuna quantitate fiunt vacuationes, quantum iuuare possunt. ALPIN. Verum dicis, namque, vt aliàs tu quoque narrasti, ego etiam multos vidi à diuturnis ex capite in pulmones distillationibus languidos, ac penè tabidos effectos, ac redditos, vt vix eorum salus amplius sperari potuerit, nihil per lõgum tempus à benedictis illis vocatis purgantibus iuuatos, semel à deuorato scammonio, vel stibio, vel colocynthide largissime purgatos continuò sanos euasisse. Cæterum hæc medicamenta requirunt medicum non minus doctum, quam prudẽtem, vt quid opus sit, scite, ac prudenter videat. sed nunc satis de his locuti sumus, tempusque est, vt ad alia transeamus, sed quid de aquæ potu post deuoratum purgans, a quibusdam recepto, iudicabis? GVILAND.

De

De eo nunc etiam quæpiam à nobis dicenda erunt, ſed clarius antea hunc mihi vſum manifeſtes, ut rem apertius tractemus.

Apud nonnullos Aegyptios in vſu eſſe ab aſſumpto purganti medicamento, frigidam multam propinari. Cap. VII.

ALPINVS.

RIDICVLVS ſanè his vſus ac valde barbarus tibi videbitur, quippè medicos illos non paucos ab aſſumpto ſtatim purganti medicamento, ægrotis multam frigidam aquam bibendam propinare. Ego vnum hoc ex ea ſæpius obſeruaui, leniſſimo medicamento, inſignem per aluum vacuationem fieri. Multi illorum conſueſcunt ex omnibus medicamentis purgantibus, caſſiam, mannam, terengibil, ſyrupum de granatis ſolutiuum, atque ex manna paratum cum aqua exhibere, in primis quidem caſſiam, vel mannam, vel aliud nuperdictorum medicamentorum ægrotis offerunt, paulo poſt aquam propinantes frigidam, alij eius binas, vel tres libras, atque alij quantum ægroti bibere queunt, concedentes, ex qua ſæpe ego, etſi ab ea aluus turbata multa deiecerit, tamen multos penè mortuos, toto corpore ea cauſa immodicè tumefacto, vehementiſſimisq; doloribus lacerato, conſpexi. Multis quoque rurſus poſt aſſumptam mannam aqua ad binas libras perhauſta, aluum abſque multa moleſtia ſubductam deieciſſe, atque contuliſſe vidi. Quod fortaſſe accidebat, quia aqua Nili ſub dulcis, & tenuiſſima, perinde ac ſerum lactis, alui deiectionem adiuuabat. GVILAND. Barbarus, ac ſumme periculoſus vſus mihi videtur, à nulloq; imitandus, quinimo ab omnibus abhorrendus, neque etſi aliquos commode, ac vtiliter eo purgatos fuiſſe dixeris, aliquid boni habere putauerim, quòd caſu eos ſic purgatos fuiſſe certus ſim, aqua ſiquidem omnis quanquam optima ſit, omniq; culpa vacet, vt Gal. in 3. de vict. rat. in morb. acut. docebat, tarde meat, difficile concoquitur atq; ęgrè deſcendit: quonam itaque modo aqua poterit vim purgantem medicamenti fouere, atque augere? atque ſi ex ipſa aliquando commo-

de quoſpiam purgatos compertum ſit, in cauſa fuiſſe, vel ab ea cruditas concitata, vel natura ex multitudine aquæ excitata intempeſtiue ad expellendum. ALPIN. Nihilominus ego ſum huius ſententiæ, quod ipſa, quæ eſt omnium aquarum, vt aliàs demonſtratum eſt, & tenuiſſima, & maxime concocta, modice ſumpta poſſit commodam alui deiectionem adiuuare, multoq; magis, quod omnes aquæ Aegypti aliquid nitri ſapiant, tota etenim Aegypti terra nitroſa, ac ſalſuginoſa eſt, proinde aqua quoque illiuſce fluminis ſupra terram nitroſam tranſiens, aliquantulum in ſe nitri naturæ retinere potuit, quamobrem aqua illa ſubducendi, vel abſtergendi quapiam facultate prædita ſit, cuius rei fortaſſe non ſpernendum hoc erit argumentum, quod omnes aduenæ, cum primum Cayrum acceſſerint, eaque aqua in potu vſi ſint, per multos dies diarrhæam copioſam patiuntur; hincq; etiam ipſam fortaſsè, præterquam quod probè in tã longo itinere à Solis calore concocta eſt, etiam aliquantulum nitri habens, ventriculi calorem non ſic labefactet, neque ſit ita ipſi ſtomacho moleſta, vt alibi, percipitur.
,, Auerrhoes etiam in lib. 7. collig. dixit: Et quantitas quam dare
,, debes ex rheubarbaro, eſt à duabus drachmis vſq; ad tres, miſcen
,, do ei ſyrupum iuleb, & ſquinzibim an. vncia vna, cum quinque partibus aquæ frigidæ. Atque hoc fortaſſe idem inuenietur apud Auicennam, Haly, atque Rhaſim, & alios, qui interim aquam poſt purgans medicamentum frigidam dare præcipiunt. GVILAN. Poſſet quidem aquæ Nili fluminis ineſſe talis vis, ſed tu hac non contẽtus, vſum aquæ etiam ab aſſumptis pharmacis ex Auerrhois aliorumq; Arabum præclariſſimorum medicorum teſtimonio probare videris, quod ſi ita eſt, animaduertas uelim, Auerrhoem, atq; alios Arabes medicos, aquam frigidam dandam illis tantum conſueuiſſe, quibus præ caliditate ſtomachi periculum eſt, ne vel vomant medicamentum, vel in ſyncopim ferantur, vt manifeſtiſſime cuique ſedulo prædictorum ſcripta animaduertenti, & ipſorũ mentem percipienti, notum erit, ſed de hoc vſu hæc dixiſſe nobis ſufficiant, atque ad varia compoſita medicamenta, quibus ea gens vtitur, accedamus.

De

De theriaca, atque alijs compositis, medicamentis, quæ in vsu sunt apud Aegyptios. Cap. VIII.

GVILANDINVS.

NONNE etiam Aegyptij medici compositis aliquibus medicamentis vtuntur? quæso, si quæ sunt, ea mihi narres. ALPIN. Paucissima composita illos in medendo exercere obseruaui, nullaq; ad purgandum, neque catapotia, neque electuaria scitu digna. GVILAND. Ea tamen qualia sint narrare quoque non tepigeat. ALPIN. Quę ex medicamentis compositis apud eos in vsu fuisse tunc temporis ab ijs didiceram, hæc planè existunt, quippè theriaca, bernaui, bers phenoniè, philosepha, atque Diamesch. Hęc enim scitu digna eos in medendo frequentare animaduerti, sed omnium maxime theriacam Andromachi Senioris, quam iussu Turcarum Regis ipsi summa cum diligentia componunt; in alijs vero, quæ dixi, medicamentis non eandem adhibent illi diligẽtiam, cum pro arbitrio omnes domi componere possint, ea quisque enim medicinę etiam planè ignarus, vt lubet, ea pro vsu sibi parat, ac componit. De theriaca vero res aliter se habet, siquidem non licet alicui ipsam priuatim componere, sed publice corã omnibus medicis, in publico loco, quòd pro ipsorum rege componatur, cuius iussu omnis cura ac diligentia ab illis adhibetur, vt perfectissima ac absolutissima perficiatur. Atque hinc Aegyptij, apud quos nunc optima medicina obsoleuit, theriacam cæteris alijs medicamentis accuratius componunt, eiusque compositioni maxime incumbunt, qui sciant hactione se suo regi obsequi, cui tale medicamentum gratissimum esse intelligant. Accedit etiam, quod id medicamentum apud omnes Aegyptios in frequentissimo est vsu, quando ferè ad omnes morbos ea gens theriaca vtatur. Locus, in quo eam componunt est templum, vrbis Cayri præclarissimum, Morestan vocatum. In eo omnes medici iussu prefecti, cum archiatro medicorum, siue principe, quem Achim Bassi appellant, simul conueniunt,

niunt, mense Maio ferè semper, vt de hac præclarissima compositione paranda consilium apud ipsos habeatur: ibi tum is qui compositioni faciendæ designatur, qui est pharmacopola exercitatissimus in ea compositione, solamque theriacam componit; coram omnibus pastillos omnes conficit, cum quibus postea totam compositionem accuratissime absoluit. Is, autem qui eo tempore, quo Cayri ego medicinam faciebam, compositionem hanc moliebatur, fuit Mahemet ebne Haly, vir quidem quamuis Mahemetis assecla, morum tamen integritate non spernendus, quique aduenas plurimi facere præ se fert, fingit tamen ingenti spe lucri, ex multa theriaca, quam aduenis continue vendit. Nunquam tamen ego, & si mihi admodum domesticus, ac familiaris esset, theriacæ compositionem, quam illi seruant, ex eo discere potui, nunquam voluit me ipso etiam præsente legere; Timent enim, si nos ipsorum compositionem, quam cæteris absolutiorem ac præstantiorem esse opinantur, ab ipsis didiceremus, multi lucri, quod cum aduenis plurimis Italis Germanis, Polonis, Anglis, Gallis, Flandris, aliarumq; multarum nationum hominibus sæpissime in Aegyptum nauigantibus continuè faciunt, se non paruam iacturam ac damnum passuros. Vel etiam quia illis lege interdictum est Christianos homines eam compositionem posse docere. Hincque nemo aduena potest vllo pretio ab illis eam compositionem intelligere. GVILAND. Hoc iamdiu sciueram, sed tu qua nam arte vsus fuisti, vt eam ab illis intelligeres, auro fortasse pharmacopolæ illius, timorem, atque legis interdictum te expugnasse puto. ALPIN. Nullo meo consilio id accidit, sed casu atque ab alio Mahemete mihi valde familiari, rei herbariæ longe omnium Aegyptiorum doctissimo, cui quotidie ex Arabiæ, atque Aethiopiæ, Indiæq; locis aliqua noua medicamenta ab amicis mittebantur, theriacæ, quam Aegyptij componunt, integram ac veram habui descriptionem, paucis enim diebus antequam ab Aegypto discederem, Deo volente, mihi contigit, ne citra sic desideratam illorum theriacę compositionis cognitionem, exinde malo animo abirem, idque nec aurum, nec aliud munus nisi multa eius viri erga me humanitas confecit. Apud ipsum enim cum discederem, vidi librum permagnum, & mirabilem, qui a doctissimo Aegyptio, olim Sultani cuiuspiam Aegypto Imperantis mandato, qui omnes Aegypti, Arabiæ, Aethiopiæq; locorum plantas diligentissime obseruauerat, de

omnium

omnium illorum locorum plantis conſcriptus fuerat. Quem ſi rectè latinitati donatum noſtri haberent, de multis medicamentis peregrinis lites omnes abſoluerentur. Fortè fortuna igitur, vt ad rem nunc redeam, diebus pauculis, antequam illinc diſcederem, cum quorundam ſimplicium medicamētorum occaſione, dictum Mahemetem herbariæ profeſſorem conueniſſem in eius apotheca ſe ligentem, parantemq; ſimplicia pro theriaca Aegyptiorum, ab omnibus medicis illo tempore indicta, vt illa in Moreſtan mitteret Mahemeti theriacæ compoſitori. Nam Mahemet ille, qui iam multos annos theriacam componebat, ſolitus erat omnia medicamenta, quibus theriaca paratur, ab eo accipere. is rogatus à me, quid tunc ne, gotij haberet, cum reſpondiſſet herbas, ſuccos, gummata, radices ſemina, atque alia medicamenta ſimplicia pro componenda theriaca ſe ligere, quæ in Moreſtan ad Mahemetem compoſitorem miſſurus erat, ſchedulam, in qua theriacæ compoſitio Archiatri medici Aegyptij litteris deſcripta legebatur, eiuſdem medici, quoque ſigillo ſubmunitam, rogatus, mihi ſe præſente legendàm paululum conceſſit, atque poſtea etiam permiſit, vt totam eam diem illam commodius perlegere poſſem, ac contemplari. Cuius ſcripturæ principium cum Aegyptio medico Hebręo Italicam ęquè ac Arabicam linguam callente, cum legiſſem, theriacæ eſſe compoſitionem, quam per eum annum medici Aegyptij componere pro Turcarum Rege conſtituerant, quamprimum agnoui. In qua, vt iam dictum eſt, aderat Achim baſsi ſubſcriptio. Illam continuò domi cum dicto Hebręo medico, pręſente etiam Octauio Rouereto Tridentino medico excellenti, qui cum Franc. Delphino, ibi pro Sereniſ. Dominio Veneto Conſule Clariſſimo, in Aegyptum, medicinam exercendi cauſa venerat, ex Arabico idiomate in latinam linguam verti, quam quidem ne amplius tuum deſiderium remorer, hoc modo ſcriptis traditam nunc ex me audies. Verum nomina medicamentorum ſcribere primo Arabice, & mox latinè clarioris cognitionis gratia volui.

The-

Theriacæ compositio, quam singulis annis Aegyptij pro Turcarum Rege componunt, quam Tharachfaruc appellant. Cap. IX.

ALPINVS.

VT Theriacam igitur componant, accipiunt.
Acras hausel, idest pastillorum Scyllinorum, dra. 864.
Acras Affâ, idest pastillorum ex serpentum Tahir vocatorum carnibus paratorum, dra. 432.
Acras Alindaracoron. i. pastil. Hedicroũ, dra. 432.
Darselsel idest piperis longi, dra. 432.
Affium Rumi, idest opij Thebaici, dra. 432.
Zarauerd. Idest florum rosarum, dra. 216.
Hasselesussan, idest radicis iridis, dra. 216
Scordium, idest scordij, dra. 216.
Garicum, idest agarici, dra. 216.
Dehenbalassan, idest opobalsami, dra. 116.
Darsini, idest, cinnamomi, dra. 216.
Rohobsus, idest succi Glycirizę, dra. 216.
Bezer Sagliàn idest seminum bunij, dra. 216.
Mur amàr, idest Myrrhę coloratę, dra. 108.
Zaffaran, idest croci, dra. 108.
Chest mur, idest costi amari, dra. 108.
Atcher, idest floris squinanthi, dra. 108.
Selica seuda, idest cassię nigrę, dra. 108.
Sombul endi, idest nardi Indici, dra. 108.
Condor Abiat, idest Thuris albi, dra. 108.
Felsel abiat, idest piperis albi, dra. 108.
Felsel assuet, idest piperis nigri, dra. 108.
Zenzibil idest, zimziberis, dra. 108.
Steca dùs idest sticados, dra. 108.
Elchelimbat, idest therebenti, dra. 108.
Faudeneg, idest calamenti montani, dra. 108.
Rhauend senì, idest rhabarbari, dra. 108.

Mascha-

Maſchatramaſſie, ideſt Dictami, dra. 108.
Fraſſium ideſt praſſij, dra. 108.
Pentaphilum, ideſt pentaphyli, dra. 108.
Petroſelium, ideſt petroſelini, dra. 108.
Chamefitos, ideſt chamepytheos, dra. 72.
Giahade, ideſt polij, dra. 72.
Phu, ideſt Valerianæ, dra. 72.
Amama, ideſt amomi, dra. 72.
Tinmactum, ideſt terræ ſigillatæ, dra. 72.
Sombul Rumi, ideſt ſpicę Grecę, dra. 72.
Colochtar, ideſt vitrioli, dra, 72.
Mea ſeile, ideſt ſtyracis liquidę, dra. 72.
Abbalaſſan, ideſt carpobalſami, dra. 72.
Hehud, ideſt acori, dra. 72.
Raſianeg ſamar, ideſt ſeminum fęniculorum, dra. 72.
Gentiana, ideſt gentiana, dra. 72.
Sang Arabì, ideſt gummi Arabici, dra. 72.
Gardemani, ideſt cardamomi, dra. 72.
Rohob Chachia, ideſt ſucci Acatię, dra. 72.
Nanachue Endi, ideſt ameos Indi, dra. 72.
Bezer carafs, ideſt ſeminum apij, dra. 72.
Aniſum helb, ideſt aniſorum dulcium, dra. 72.
Chemadrios, ideſt chamedrios, dra. 72.
Seſelios, ideſt ſeſelios, dra. 72.
Mu, ideſt mei, dra. 72.
Horf, ideſt naſturtij, dra. 72.
Haſart leget, teteis, ideſt ſucci hypociſtidis, dra. 72.
Secbines, ideſt ſerapini, dra. 72.
Hyufaricum, ideſt Hyperici, dra. 72.
Gindubaleſtar, ideſt caſtorei, dra. 72.
Zarauend tauil, ideſt Ariſtolochię longę, dra. 72.
Daucum, ideſt Dauci, dra. 72.
Vini granatorum, aut vini antiqui quantum ſufficit. Mellis optimi partes tres. GVILANDINVS. Theriacę huic deſcriptioni addenda quoque à te eſt paſtillorum in primis, qui ex ſcylla conficiuntur, mox etiam aliorum, compoſitio. ALPINVS. Paſtillos Scyllinos parantes, accipiunt ſcillam albam mediocris magnitudinis, quam triticea paſta contectam, ac con-

conclusam in ignem ponunt, vriq; sinunt, quousque pasta circa Scillam posita, perfectè assata videatur, ac crustam contostam contraxerit, quam continuò eximunt, atque extrahunt, quodq; intus cæpæ scillæ est molle accipientes, ei farina orobi permista, in ea portione, vt respondeat duabus scillæ partibus vna farinę, & plus etiam farinæ admiscent, si scilla multam habuerit acredinem. sicq; in miscenda farina scillæ se gerunt, vt ex multo, vel pauco scillæ acri sapore farinæ quantitatem expendant. scillis acriori sapore præditis farinæ plus, & minus his, qui obscuriorem habẽt acrimoniam permiscentes. Vtrumq; quippè percoctam scillam, atque orobi farinam manibus conterunt, atq; postea simul mista in mortario contundentes, massam efficiunt, ex qua orbiculos paruos faciunt, digitis prius oleo rosaceo inunctis. hosq; permittunt per multos dies sub vmbra siccari. Viperinos vero eodem certè modo, vt Gal. in lib. primo, de antidotis docet, ipsi parant, vno hoc excepto, quod ex viperarum carne, ex quibus nostri suos faciunt pastillos, eos non parant, sed ex quibusdam serpentibus, viperis tamen omnino corporis colore, magnitudine, figura, atque habitu proximis, capite excepto, quod in viperis nostris depressius est, cornibusq; caret, siquidem serpentum illorum capita, vna, vel duobus cornibus prędita sunt, duo fęminæ, vnum mares habent, quæ cornua sunt veluti acutissimi acus, quibus mulieres ad suendum vtuntur, atque in hoc nostræ viperæ ab Aegyptijs differre cernuntur. Sed de his posterius copiosius loquemur. Pastillos vero alindaracorum, quos nostri hedicroos vocant, parant, accipientes.

Darsisahan, idest corticis rad. aspalati, dra. 108.
Cassabelderira, idest calami aromatici, dra. 108.
Idam balassan, idest, xilobalsami, dra. 108.
Chest mur, idest costi amari, dra. 108.
Assarum, idest asari, dra. 108.
Mu, vel Meù, idest mei, dra. 108.
Achaouan, idest mari, dra. 108.
Mastichè, idest mastiches, dra. 108.
Fecahatcher, idest floris squinanthi, dra. 360.
Rauends, idest rhabarbari, dra. 360.
Selicâ, idest cassię, dra. 360.
Darsini, idest Cinamomi, dra. 360.
Sambul endi, idest spicæ Indæ, dra 288.

Sadeg

Sadeg endi, idest folij Indi, dra. 288.
Mur, idest myrrhæ, dra. 432.
Zaffaran, idest croci, dra. 216
Omnia hæc terunt tenuissime, atq; cum vino granatorum miscentes, digitis opobalsamo inunctis ex ea massa orbes faciunt, quos in vmbra siccant.

In quo Aegyptiorum theriacæ descriptio differat ab ea, quæ ab Andromacho Seniore olim memoriæ fuit prodita. Cap. X.

GVILANDINVS.

HANC theriacæ descriptionem, quam Aegyptij sequuntur, longè ab ea, quam Andromachus Senior docuit, differre patet: Primum quidem numero ingredientium medicamentorum ab ea differens est, quando in hac ingredientia medicamenta sint nouem, & quinquaginta, in Andromachi vero vnum, & sexaginta: Deest Aegyptiæ asphaltus, siue bitumen Iudaicum, Centaurea, galbana, malabatrum, opoponax, neque in ea perfectus ingredientium simplicium numerus obseruatur. Andromachi etenim theriacam simplicia omnia ingredientia sex numeris comprehenduntur, quorum primus est quadragintaocto, secundus vigintiquatuor, tertius duodecim, quartus sex, quintus, quatuor, atque vltimus duorum. Aegyptiorum theriacæ descriptioni deest sextus numerus, quæ tamen cæteris alijs numeris similis est, suosque habet Andromachi descriptionis numeris planè respondentes, quanquam in maiori quantitate illi ipsam vna vice componant. Primum enim ingredientium ordinem faciunt octingentorum cum sexagintaquatuor, qui sanè magnus numerus ingredientium, descriptionis Andromachi primum numerum decies, & octo plus comprehendit, cum Aegyptij decies, & octo plus theriacæ vna vice componant, quàm sit Andromachi descriptio. Primus igitur ordo ingredientium simplicium, & secundus, & tertius, & quartus, primo, & secundo, & tertio, & quarto Andromachi ordinibus rectè conuenit. In quinto vero partim conuenit, & partim differt, conuenit, quod ex quatuor cum viginti simplicibus medi-

medicamentis,omnia,exceptis duobus,habet, quando ſolum malabatrum,atque thlaſpi ei deeſt. Differt etiam, quia alia habet, quæ in Andromachi deſcriptione non leguntur, qualia ſunt, acorus,apium, & naſturtius, habetque reliqua, quibus ab Andromacho ſextus ordo datur,qualia ſunt, caſtoreum, ariſtolochia longa, atque daucus. Alia deſunt, non enim Aegyptij in ſua compoſitione ponunt,aſphaltum,opopanacem, & centaureum: ex his itaque nobis perſuaſum eſt,illorum deſcriptionem ſcatere multis erroribus. Sed cupio, vt de omnibus rurſum ingredientibus commodius loquamur,eaque altius ſpeculemur, à paſtillorum preparatione facto principio. ALPIN. An non omnium paſtillorum in theriacam ingredientium compoſitionem ex dictis didicimus? GVILAN. Quepiam de ingredientibus in paſtillorum compoſitionem,fore à nobis clarius cognoſcenda exiſtimo; atque in primis,quia tu dixiſti, paſtillos ex viperarum carnibus parandos, ibi ex ſerpentibus thayr vocatis parari, velim, vt ſerpentem illum,ex quorum carnibus paſtillos,vel trochiſcos illos conficiunt, mihi ſedulo deſcriberes, vt clarius ipſum cognoſcere poſſim. ALPIN. Tahyr ſerpens eſt longitudine duorum ad ſummum cubitorũ,corporis magnitudine,colore,figura,vt nuper etiam dictum eſt, viperis à noſtris uocatis,proximis,hoc excepto,quod caput habent magis latum ac depreſſum, atq; in eo cornua alba geſtant,mas vnum, & fœmina duo, in ſincipite, non ſecus quam acus acutiſſimos,ex quibus aliqui iudicarunt, illum ſerpentem veram eſſe ceraſtem, quod ſi Arabum ceraſtis deſcriptioni acquieſcendum eſſet,ſine dubio ceraſtis ille ſerpens non erit putandus,quando in hac fera ſiue ſerpente, non reperiantur cartilagines ſpinarum loco, ſed eadem ſpina,quibus viperarum corpora prędita ſunt, neque,vt aiunt,plura quàm duo cornua geſtant,quę recta, minimeq; obliqua cernuntur;Neque dignoſcitur in his feris,quod Actius in lib. 13. ſcriptum
,, reliquit,his profectò verbis dicens: Ceraſtes magnitudine cubi-
,, talis eſt,longiſſimus cubitorum eſt duorum, corpore vero areno-
,, ſus eſt,& iuxta caudam deſquammatus:eminentias habet in capi-
,, te duas,cornuum ſimilitudine. Audiui in commorſis ab his ſerpentibus thayr vocatis eadem planè ſymptomata obſeruari,quę à viperarum noſtrarum morſibus prodeunt,hocq; vnum certo ſcio, non eſſe illorum morſum vſqueadeo exitioſum,vt de ceraſtis morſu à multis proditum eſt. Teſtis erit Antonius Palmerius presbi-

ter

ter admodum reuerendus, qui multos annos Cayri, multis Venetis Consulibus sacra ministrauit, fuitque Cancellarius, is mecum vna vidit, Mahemetum theriacæ compositorem, duos thayr vocatos serpentes, dum vt nobis aliquando ostendere vellet, manibus contrectaret, ab altero ipsorum commorsum, sola theriaca foris intusq; adhibita sanatum fuisse, in quo cum omnia symptomata viperarum apparuerint, sine dubio affirmare poterimus, thayr viperam cornutam esse, cum solis cornibus à vipera nostrorum differat. Ex horum carnibus pastillos illi, vt iam etiam dictum est, non dissimili, quo nostri parant modo. Hedicroos verò, quos alin daracorum appellant diuersissime ab ijs, qui tum à magno, quos Gal. in lib. de theriaca ad Piso. docuit, tum ex Andromacho ab eodem Galeno, in lib. primo, de antid. litteris proditi fuere, componunt Quod tibi ex ipsorum narrata descriptione manifestissimum esse puto. GVILAND. Admodum certè dissimilis est hedicroorum hæc pastillorum descriptio, ab ea, qua in illis componendis, vsus fuit Galenus ex Andromachi mente, attamen illos veris, ac legitimis plerisque ingredientibus vti existimo, quòd in his locis non sit difficile multa medicamenta simplicia haberi, cum Aegypto Arabia, Aethiopia, India, Græcia, sint contermina, in quibus præclara multa simplicia, quæ à nobis desiderantur, sponte nascantur, atque facillime illuc conuehantur. ALPIN. De bis omnibus, dicam libere, quid ab his didicerim, atque quid sentiam. Et vt à Darsisahan, qui est aspalathus Dioscoridis, principium faciamus dico, illos in hanc hedicroorum compositionem veram radicem aspalathi conijcere, quam ex Creta, vel Rhodo ipsi se habere aiũt, quæ est valde crassa longa, dura, coloreque flauo rubescente, admodum odorata. Eam Dominicus à Rege, qui pharmacopolam Cayri agebat pro Georgio Hemo Consulatum tunc gerente, in Cretę loco propè portum Fraschia dictum meo iussu plures radices excerpsit, & Cayrum pro vsu secum tulit. Arbustus est aspalathus ramulis densis, spinis albis, durisque horridus, folijs rutæ proximis, atque floribus aureis, raris, sparthij florum æmulis, summe odoratis, ego eam plantam iucunditate eximia odoris, ex eius floribus, vbi Cretæ loca aliquando diuersarer, ad nares elata cognoui. Alij sunt, qui eo carentes, quandam herbam substituunt, quam falsò aliqui darsisahan vocant, hanc ego hyperici speciem ex eius figura, & seminibus nigris subrubescentibus, in paruis fol-

liculis,qui picis redolent odorem, iudico. De Cassab,elderira rectius, quàm nostri, cum vero ac legitimo mea sententia vtantur calamo aromatico,& non acori radicibus, quæ nunc apud multos herbarum materiæ ignaros medicos,pro calamo aromatico in vsu familiarissimo existunt,qui quam bene hoc intelligant, tu melius in herbarum materia exercitatior explicabis. GVILAND. Quid? non omnibus manifestissimum est,calamum aromaticum esse non radicem,sed cannam, vel calamum? quod ex Dioscoridis verbis
,, plane verum esse constat, dixit enim: Calamus odoratus in India
,, nascitur,melior est fuluus dense geniculatus, & qui assulose fran-
,, gitur,plena araneorum fistula, albicans, lentus in mandendo, &
,, adstringens,ac cum aliquanta acrimonia amarus. Et Plinius quo-
que cannam esse calamum aromaticum affirmare videtur, cum di-
,, xit: Inest fistulæ araneum, quod vocant florem. Ac Serapio, &
,, Canna eius est plena cuiusdam rei similis texturæ araneæ cuius,
color est albus, & est viscosa. Ex quo aperte cognoscitur,falsã esse eorum sententiam,qui acori radices verum calamum aromaticum esse affirmant, quando neque calamus acori radices existant,neq; concauitatem habeant plenam eius medullari substantia,quam florem ipsi appellant, neque assulose frangantur. Atque tu illum sæpe mihi ostendisti verum, ac legitimum, quem ex Aegypto tecum asportasti,qui quidem certissimus calamus aromaticus antiquorum est,calamus enim in primis est, coloreq; sub fuluo spectatur,est fistulosus,concauus,odoratus, amarus cum aliqua acrimonia, assuloseque frangitur,idest in frustula multa inæqualia, inque fistularem meatum araneum florem vocatum habet. Hoc si Aegyptij in componenda non modo theriaca, sed in omnibus alijs medicamentis,vtantur,rectius certè quam nostri agunt. Cassab elderira Arabum verus proculdubio est calamus aromaticus. Hinc rogatos vellem omnes tum medicos,tum pharmacopeas, vt illum aspernari nolint tanta cum componendorum medicamentorum, iactura. Cuius copia, modo ipsum in usu recipere voluerunt, ex Aegypto, atque Syria eis non deerit. ALPIN. Gratulor te hanc veritatem cognouisse. Sed nunc age de xilobalsamo;de quo non minus etiam multi ex nostris hæsitant, quanquam nonnullos ramulos,tenues,rectos,subrubescentes, odorem ac saporem nõ obscure veri opobalsami redolentes,in suis officinis habeãt, quos eo nomine etiam appellant, qui certissime veri ramuli plantæ balsa-

mi

mi existunt, id quod ego sensibus verum esse cognoui: nā non mō do Cayri asportatas ex Arabia recentes virgas vidi, verum etiam Venetijs in Arbusculo veri balsami, quem domi meæ viuētem plu res viderunt, atque quod magis mirum multis videbitur, etiam ex illius paruuli balsami arbusti stipite, vbi ala quæpiam foliorum ab eo abscindebatur, verum opobalsamum stillasse multi spectarunt, quod ex gustu, atque odoratu omnes qui aliàs asportatum ex Aegypto verum opobalsamum viderūt, verum esse fassi sunt. Hoc vidit Iacobus Contarenus, Senator Clarissimus, plantarumq; materiæ doctissimus, atque studiosissimus, Nobilissimusque Ioannes Vuthus Anglus, simul cum nobilissimo Fererio Gallo, quampluresque alij tum Angli tum Germani, atque Marcus Phenarius Venetus pharmacopola præclarus simpliciumque medicamentorum cognitionis non ignarus, ac alij multi, quos, ne te virum doctissimum maiori tędio, quam liceat afficiam, omitto. Hanc vero balsami, carpobalsami, & xilobalsami veritatem in dialogo de balsamo olim Cayri conscripto fusius manifestaui, de qua etiam inferius non pauca erunt suis locis rursum memoriæ mandanda. Multas recentes virgas balsami ex Arabia Cayrum valde citò conuectas inspexi, quæ eximium odorem opobalsami spirabant, qui tamen adeo cito exoluebatur, vt paucos post dies obscurissime sentiretur. GVILAND. Atque hinc est, quod hæ virgæ, huc asportatæ, in tam longo itinere odore multum resoluto, obscurissimum tum saporem, tum odorem referunt. Quamobrem laudarem ego, vt pro illis interim carpobalsamum odoratum substituerent. Sed per Achaouam, quid intelligūt? ALPIN. Per Achaouam herbam aliqui accipiunt camomello valde similem, quam achaoen, vel vehouen, vel alachuan etiam appellant. Crescit hæc herba copiosissima in Aegypto, præsertimq; Cayri, in loco Sbechie vocato, altitudine paulo minore ipsius camomelli, floribusque ei maxime proxima, ac folijs matricariæ siue parthenio, similis; ipsamque ego sæpissime virentem decerpsi, quæ obscurissimū tum saporem, tum odorē, atque etiam ingratum edebat. Aliqui vero sequentes fortasse Auicēnam, dicentem achaouam esse acuti saporis, atque odoris, aliam herbam albam odoratam, atque cum acri sapore origani ferè æmulam intelligunt, ex quo non adeo erasse Auicēnam constat, qui dixit, achaouam habere flores odore atque sapore maro proximos, iam dictam herbā acuti odoris, saporisq; intelligens,

an vero ipsa verum marum sit, adhuc ignoro. Per darsini optimam cannellam intelligunt, siue cinnamomum, quod nulla in re à cānella differt, quam gracilitate, odorisque, ac saporis præstantia; Fasces multos conspexi veri, vt arbitror, cinnamomi, qui cortices erant cannellæ colore, contorti, vel obuoluti, cannellis multo tenuiores, graciliores, & breuiores, crassitiem veri calami odorati, habentes. quo etiam tenuiores existunt, qui vetustate omni ferè, tum sapore, tum odore carebant. Etsi aliquibus odor aliquis, vel sapor aderat, satis obscurus, atque non nisi cannellæ proximus sentiebatur. Quam speciem cannellæ tenuem, breuem, obtortam, darsini Arabes appellant. Quæ maxima cum difficultate in Aegypto inuenitur. Quam nostri cannellam communiter dicunt, Arabes cherfè nuncupant, & cassiam ligneam selica. In qua multi etiam Cayri decipiuntur, non tamen in theriacę compositione ipsam ponūt, quando veram cassiam illi semper in ipsa adposuerint, opinantes selica non esse cassiam ligneam, sed corticem ex Barbariæ locis asportatum, crassum, ac subrubrum, qui cortex, me iudice, est verus ac legitimus macer Dioscoridis. hunc corticē selica seuda vocant. Ibi vero multæ selicæ circumferuntur, quarum in vna aureus est cortex, amarus, cum quadam adstrictione, cuius decoctum, & infusum in aqua simplici frequentant instar fomenti, ad oculorum lippitudines, quibus mirifice prodest, quem corticem vocant selica umrà. Alter est cortex subflauus, vel subruber, vel subniger, sapore subdulci, stipticoq;, ac omnis odoris expers, quem aliqui veræ cassiæ ignari, cassiam esse opinantur, hincque aliqui ipsum appellant, quod cassia nigra sit, selica seuda, quod idem est, ac si dixerint, corticem nigrum. Hunc corticem verum esse Dioscoridis macerem ego sine dubio ex notis à Dioscoride proditis, affirmarim. Est & tertius cortex, quem selica per eccellentiam appellant, quasi dixeris, cortex, omnium præstantissimus, qui sanè cassia est vera, quā nostri ad differentiam fistulæ solutiuæ, quam etiam cassiam vocāt, ligneam cassiam dicunt. Per rhauend seuì, rhabarbarū accipiunt, & per sadeg endì cinnamomi folia, lauri folijs proxima, sed multo maiora, quibus nostri pro vero folio vtuntur. Per cheft, vtuntur quadam radice alba odorata, sapore modice amaro, cum multa acrimonia linguam feriente, quam ex Syria conuehunt, quæ radix si acutissimum odorem, quo caput feriretur, haberet, sine dubio verus costus Arabicus esset. Neque opinor multum falli illos, qui

pro

pro vero Arabico costo ea vtuntur. GVILAN. Id ego quoque verum esse costum Arabicum, puto, rectéq; idcirco facere Aegyptios medicos eo vtentes. Neque obstat, quòd caput odore acutiori non feriat, cum Dioscorides dixerit, Syriacum tantum caput odore ferire, non tamen Arabicum, quem potius suauioris, ac iucundi esse odoris scriptum reliquit, vnum est in eo præcipuum, scilicet sapor valde mordens, cum pauco amarore. Sed quæso quid per amomum ipsi intelligunt, de quo inter nostros hactenus maxima lis fuit? quoque pro eo in medicinæ vsu illi vtantur, audire cupio, atque num semina, an lignum ab ijs credatur. ALPIN. Ipsi non seminibus, sed ligno quodam odorato pro amomo vtuntur, quod amama appellant. Est itaque ipsorum amama ramulus breuis gracilis, multis obliquitatibus, atq; paruis densis obtortis ramis præditus, vereq; racemo vuarum figura similis. Est tamen lignosus, durus, frangibilis, colore corticis quidẽ nigro, subrubescente, ligni vero vel albo, vel flauo, præditus, valde iucundum atque aromaticum odorem respirans: nullius tamen est saporis: hocq; ligno pro amomo meritò vtuntur, cum mea quidem sententia Dioscorides, qui verius de eo scripsit, potius de ligno intellexerit, quàm de seminibus, non abreque dixeris amomum racemosum, quasi lignum vuarum racemis figura similem. GVILAN. Multi aiunt lignum hoc, quo pro amomo Aegyptij vtuntur, esse plantæ rosæ Hierici vocatæ, quod tamen falsum esse comprehenditur, ex hoc præsertim, quod huius stirpis caules, vel ramuli lignosi non existunt, neque frangibiles, neque odorati, quales sunt, quibus pro amomo ij vtuntur, qui duram lignosam substantiam habent, facillimeque digitis franguntur, odoremque suauissimum respirant, & quia flores paruos albos violarum floribus proximos habent, fortasse non immeritò eos pro vero amomo habent: Nam
» & ipse Dioscorides dixit: Amomum est arbustum, quod è ligno
» racemi modo in seipsum conuoluitur, florem habens paruum, al-
» bum, violis proximum, atque folia brioniæ. Melius ex Armenia
» portatur, aureo colore, cuius lignum subrubrum, atque odoratum
existit. Ex quibus Aegyptios magis, quàm nostros probarem, qui ligno vtantur pro amomo, & non seminibus, vt nostri faciunt, prorsus sapore atque odore carentibus. Res tamen est perdifficilis, quippè vt hæc veritas antiquorum monumentis demonstretur cum apud varios scriptores, amomi historia planè varia inuenia-

tur, ex qua nihil, vel parum certi elici potest. Sed de myrrha etiam loquamur, quam illi vocant Mur. ALPIN. Per mur myrrham omnes intelligunt, sed tamen optima Trogloditica carent, cuius loco illa vtuntur, quam Dioscorides ergasimam appellat, quà & Venetos pharmacopæos vti quoque scio. Hæc enim colore, atque aspectu gummi est proxima, odore graui, gustu modice amaro. Alia simplicia medicamenta, quibus vtuntur ad dictorum pastillorum compositionem, eadem existunt, quæ apud nostros quoque in vsu existunt. Hæcque de huiusce compositionis ratione à nobis dicta sint. Nunc peropportunum erit, vt ex medicamentis in theriacæ compositionem ingredientibus, quæ cum apud nostros vsitatis conueniant, & quæ differant, loquamur. GVILAND. Vt lubet; sed non de omnibus, sed tantum de necessarijs breuitatis causa sermo habeatur, ac tantum de his, quorum vsus nõ omnibus adeo patet, & in quibus multi dubitare videntur.

De aliquibus simplicibus medicamentis in theriacæ compositionem ingredientibus, consideratio. *Cap. XI.*

GVILANDINVS.

QVID itaque intelligunt per denbelassam, velim in primis mihi nares: atque mox de singulis alijs, quorũ vsus nostris haud omnino clarus est, erit dicendum. ALPIN. Per denbalassam succum balsami arboris, per idanbalassam, lignum, & abbolassan fructus, illi intelligunt, quæ omnia vera habent, atque recentissima, quibus ad componẽdam theriacam atque alia medicamenta, vtuntur. Nostri hæc ex Græcis appellauere, opobalsamum, xilobalsamum, atque carpobalsamum. Omnia hęc apud me vera ex Aegypto comportata vidisti, fassusq; tunc fuisti sine dubio legitima ac vera esse. Quoniam autem de his posterius, vbi de balsami planta loquemur, copiosius agemus, propterea alia de his in præsentia dicenda non sunt. De cinnamomoq; & cassia nihil aliud, quam quod de ipsis iam dictum est nos dicere oportet. GVILAN. Quoniam autem vbi de cinnamomo, & cassia sermonem habuisti, non rectè percepi, ideo rursum explo-

ratius

ratius à te eadem audierim, tu enim dixisti, Aegyptios pro cinnamomo, & cassia, ijs tribus nominibus vti, quippè darsini, cherfè, & selica, quibus sanè nominibus intelligũt cinnamomum, cãnellam, atque cassiam, scilicet per darsini corticem cãnellæ similem, sed eo tenuiorem, longè breuiorem ac graciliorem, in seipsum inuersum, conuolutum. Per cherfè nostram vsitatum canellam, & per Selica, Cassiam, quam ligneam nostri appellant. ALPIN. Cayri vidi nonnullos fasces veri cinnamomi, præ antiquitate toto ferè odore ac sapore resoluto, idque apud Ioannem de Leonardis, Venetum, mercatorem integerrimũ. Erat enim illud cinnamomum, cortices tenuissimi in seipsos cãnellæ modo inuoluti, crassitie tamen communium arcuum cordas nõ excedebant, vel calamis aromaticis proximi, longeq; erant cãnellę breuiores, quæ palmi longitudinem non excedebant. Ipsorumq; odor, ac sapor, quanquam obscurissime ex vetustate sentiretur, nihil differebat, ab eo, quem communis cannella spirat, atque sapit. Cannella igitur, quam, vt iam dictum est, cherfè appellant, neque odore, neque sapore, neq; colore à vero cinnamomo differens est, & solum corticis crassitie, & longitudine interstinguitur. Verum cinnamomum, vt ex multis audiui, cannellæ sapore atque odore præfertur, quia cinnamomi odor suauior, atque validior, saporq; dulcior, atque mordacior sentitur. Hincq; puto Theophrastum scripsisse, cortices tenuiores è surculis, vel sarmentis tenuioribus eximi, cinnamomumq;, quod ex tenuibus fit præstantius, atque cassiam ex crassioribus, minus efficacem, ex quo dicendum est, cinnamomum nihil aliud esse, quàm surculorum, vel ramulorum tenuissimorum cortices, & cannella, maiorum, atque crassiorum, atque adhuc crassiorum iuxta Theophrastum, cassia. Qui an verum attigerit, valde dubius sum, quem tu, qui istęc omnia accuratius cognoris, facile illustrare poteris, atque huius veritatem mihi aperire. GVILAN. Quid? cassiam à cinnamomo, & cannella differt crassitie, ac odoris, saporisq; præstantia? hoc planè falsum esse scio, siquidem has obseruari differentias in varijs cannellis, atq; cinnamomis puto, ex quo differunt cinnamoma atque cannellæ inter se corticũ magnitudine, ac odoris saporisq; præstantia. Namque cinnamomorum alia sunt tenuioris corticis, odorisq; ac saporis validioris, & alia crassioris, & odoris, saporisq; obscurioris, veluti etiam ex cannellis aliquæ sunt crassiores, maiores præstantioresq;, quoad odoris saporemq; atq;

aliæ minores, atque odoris saporisq, humilioris. Ex his colligo cinnamomum, quòd darsini Arabes vocant, nihil aliud esse, quam corticem tenuissimorum surculorum, qui sunt odoratiores, ac validioris saporis, & cannellam, quam cherfè appellāt, esse corticem crassiorem, omniumq; crassissimum, qui à crassioris ramis ac truncis aufertur, eamque cannellam quoque esse, minimeq; cassiam, vt voluit Theophrastus, cum eundem odorem spiret, atque eundem planè seruet saporem, qui in cannellis obseruatur, etsi longe obscuriorem. Cassiam vero, quam selica Aegyptij dicunt, alterius esse arboris corticem censeo, cum diuersissima tum odore, tum sapore à cannella clarissime cognoscatur. odores siquidem saporesque cannellæ, ab odore, saporeq; cassiæ specie sanè differunt, sapor cannellæ est subdulcis, cum multa mordacitate, at cassiæ aliquātulum amarus. Igitur cum cassia differentissimum à cinnamomo, cannellaq;, qui sunt vnius eiusdemq; arboris cortices, odorem saporemq; edat, quid diuersum à cinnamomo, & cānella necessario erit iudicandum, ex cassiæ etenim corticis gracilitatis, tenuitatisq;, & crassitici differentia, variæ eiusdem profectò cassiæ præstantioris, & minus præstantis differentiæ exurgunt. Cayri plurimos cortices cassiæ crassissimos vidi, vsui prorsus ferè inutiles, cum vix aliquid odoris, atque saporis haberent. Non immeritò igitur Aegyptios ego laudauerim, qui illis tribus nominibus cinnamomum cannellam, atque cassiam comprehendunt. Quod autem cinnamomum nunc reperiatur, apud plures medicos eruditos dubium non est, nihilq; à cannella differre, nisi, quod ipsa præstantius sit, si enim cannellę cortices tenuissimi, & gracillimi, ex surculis extracti recentes haberentur, veluti paulo crassiores, quos cannellas, & cinnamoma confusim nostri appellant, habentur, sine dubio essent ad vsum præstantiores, veraq; cinnamoma dicerentur. Verum quia odor, saporq; corticum tenuissimorum surculorum in humido facile resolubili fundantur, facile priusquam in Aegyptum, vel Syriam conuehantur, in tam longo itinere odor, saporq; euanescit, ac minuitur, ea ratione fit, vt mercatores, quod sic citò cinnamoma sua præstantia deficiant, atque inutiliora reddantur, non conuehant ea, tum quia difficilius à surculis eximi possunt, tum quia odore saporeq; in tam longo itinere destituta, viliori pretio, & difficilius à mercatoribus venduntur. Cannellā vero, quod certe crassior est, non sic facile à quacūque causa patitur, odore saporeq; namq;

non

non deficiat: ob id ex Arabia mercatores conuehunt, quia diutius odorem, atque saporem conseruat, facileq; ab omnibus coemitur. Sed hæc de his dicta sufficiant. Per Elchenlimbat, vt nuper etiam dictum est, in vsum habent resinam terebinthinam, siccam, duram, lucidam, foris albam, & intus flauam, odoratam, qua linguam aspero subdulci sapore ferit, dentibusque cõmansa in ore, ac cera mollescit, sicque in ore substantia mollitie, saporeque cerę videtur proxima. Per tinmactum vero bolum orientalem ex terra, in Chia insula certa quadam die mãdato Turcæ maris præfecti singulo anno effossa, paratum. Iussu enim huiusce prefecti Battà vocati, cui Turcarum Rex eam terram dono dedit, singulo anno certa ac statuta die ista terra effossa Bizantiũ sub sigillo mittitur, ibique rectè purgata in varios orbes formatur, quę his coloribus spectatur, quippè cineritio, vel subrubro, vel subflauo, saporeque subdulci, adstringenti, lenta, viscosave, atque pingui substantia obseruatur. Hanc terram pro compositione theriacę habent prestantissimam, è Byzantio sub sigillo Cayrum conductam. Per sang Arabì gummam in compositione recipiũt, quam nostri Arabicam appellant, ex arboribus acatiæ in Arabia petrea nascẽtibus collectam. Magnam quidem huius gummi copiam eas arbores in Aegypto gignere te scire certò scio, ex quo illos planè errare cognoscitur, qui communem gummam ex Aegypto aduectam verã esse Arabicam negant, sed illam tantum Arabicam fatentur, falsò a Dioscoride perdocti, quę vermicularis cernitur atq; alba; Quod sanè falsissimum est, quando omnia gummata, non tantum alba lucida, vermicularia, sed etiam gummis nostratibus colore, & figura proxima, exinde asportata, verè Arabica sint, atque ex spinę Aegyptię, vel acatię arboribus colligantur. Nulli siquidem in Aegypto, vel Arabia deserta arbores, excepta acacia inueniuntur, uel ibi uiuunt, qui gummata gignant, omnia quęcunque illinc asportantur in arboribus prędictis, & non in alijs colliguntur, ea enim loca omnia, cerasis, prunis, pomis, pyris, atque alijs arboribus gummatum feracibus carẽt, sola acatia ibi est, quę gummata gignat, sed de his etiam, ubi de Acatia arbore loquemur. Per Rholo chachię, succum ab immaturis siliquis illiusce arboris expressum intelligunt, eoq; in hac compositione vtuntur. Miror quidem aliquos excellentissimos medicos, lachrymam ex Acatia arbore collectam, & nõ eius succum fore ad componendam theriacam in vsum recipiendum,

quan-

quando in Aegypto nemo viderit ab hac arbore ſtillantem lachrymam, colligi, vel illiuſce aliquem vnquam fuiſſe vſum, cum nulla ab ea ſtillet lachryma. Neque mirari nos debemus Galenum, atque poſt ipſum Actium dixiſſe, liquidum ſuccum, qui talis ſemper eſt, vbi non multum coquitur, ex quo etiam peraſſatur, nam remanet liquidus modo ab his; (vt nunc omnes neſcio qua negligentia faciunt,) à nimio calore nõ peraſſetur, atq; ſiccetur. Ibi enim liquidus, mollis, acatiæ ſuccus, reperitur, atque ſiccus, & durus, ſicci verò maior eſt vſus apud Coriarios, pro tingendis corijs, ſiccus optimus eſt recens, nigro colore ſubrubeſcente, atque ſapore ſubdulci atque adſtringenti obſeruatus. Ameo, quem Nanachue endì vocant, vtuntur optimo, ac ſynceriſſimo ex India delato. Pro Gardemani vtuntur ijſdem ſeminibus aromaticis, à noſtris pro cardamomo receptis. Daucum ex Creta perquirunt optimum, quo vtuntur. pro Hehud, ideſt acoro vero vtuntur, ſcilicet illis radicibus, quibus noſtri pró calamo aromatico vtuntur, quæ verè radices acori exiſtunt. In vſu aliorum ingredientium à noſtris Aegyptij non differunt, ijſdem ac noſtri ſimplicibus medicamentis recipientes in vſum ad componendam theriacam. GVILAND. Video etiam Aegyptios multos errores committere in componẽda theriaca, proinde meritò ſuſpicandum à nobis videtur, tot laudes ei à multis datas fortaſſe non conuenire, vel neque ijs morbis, atq; venenis, quibus ſic præſtantiſſimè ſuccurrere dictum eſt, ita præſentaneum, atque tutum eſſe auxilium; eos ego tibi errores diſtinctius explicabo, tu vero quid ſentias expectabo.

Errores, quos Aegyptij committunt in componenda theriaca, atque de ipſorum theriacæ præſtantia. Cap. XII.

GVILANDINVS.

NVLLI dubium, quin Aegyptij in componenda theriaca multos errores committant, in primis ipſorum compoſitio ab ea, quam Andromachus docuit, multum differt numero ingredientium: cum ex Andromachi Senioris deſcriptione conſtet, ingredientia theriacam eſſe numero vnum ac ſexaginta, &

ta, & Aegyptiorum descriptio sit tantum quinquaginta nouem, eiq; etiam deerit asphaltum, siue bitumen, centaurea, Galbana, malabatrum, opopanax, & tlaspsi, quæ omnia habet Andromachi descriptio. Aegyptia vero quædam habet, quibus illa caret, acorum, apium, atque nasturtium. Præterea Andromachi descriptio ingredientia medicamenta sex numerorum ordines complexa est, quorum primus constat, quadragintaocto, secundus, viginti-quatuor, tertius duodecim, quartus sex, quintus, quatuor, sextusq; & vltimus duobus. In Aegyptiorum vero descriptione, quinque tantum ingredientium numerorum ordines leguntur. Mellisque etiam in compositione triplam addunt proportionem, cuius Andromachus nullam præscripsit quantitatem, præterea trochischorum, vel pastillorum alindara descriptio apud ipsos diuersa plane est ab ea, quam Gal. laudauit. Pastillos quoque ex carnibus cornutorum serpentium parant, quos omnes nostri medici damnant, multo magis, quòd in arenosis locis illi capiuntur, quos Gal. summopere in lib. de theriaca, ad Pison. damnauit. Quid itaque dicemus de præstantia theriacæ Aegyptiæ tot summis laudibus à multis celebratæ? ALPIN. Diuersam sanè esse compositionem ab ea, quam Andromachus scriptam reliquit, eaque causa etiam non nihil à sua antiqua præstantia ipsam defecisse, credendum profecto est. Quod peccatum commune etiam est nostris theriacis, quę à nostris pharmacopolis ita parantur, vt multa desiderentur ingredientia, multaque male substituantur, non sine artis dedecore, velati est acorus verus, calamus aromaticus, amomum, terra lemnia, opobalsamum, xilobalsamum, & carpobalsamum, atque alia, quibus nostra theriaca caret, quanquam illa simplicia leuissimo negotio haberi possent, si modo illi ipsa agnoscere vellent. Aegyptiorum vero theriaca hæc omnia cum habeat, etsi alijs erroribus in compositione commissis, theriaca Andromachi Senioris nõ sit dicenda, est tamen affirmandum, antidotum esse insignem, multis viribus prędita. Aliquos ab aspidibus, cornutisq; Aegyptijs viperis, atq; à scorpionibus, qui ibi sunt perniciosissimi, quales Dioscorides descripsit, demorsos, vel sauciatos, illiusce tantum theriacę vsu probè, ac fere continuò sanatos vidi. omnes affirmant theriacam illam vim efficacissimam habere aduersus omnia uenena, atque ferarum uirus, plurimos uero morbos hãc antidotum iuuare posse, non est longa oratione persuadendum, cum ex ingredientium

tium ſimplicium uiribus facile pateat, ego mulierem uiduam, multis annis ab vteri grauioribus doloribus vexatam, nec non ab aſſidua cruditate, ventriculum languidius adeptam, eam crudorum humorum gignere copiam, vt quotidie ingentem aquoſæ pituitæ molem vomere cogeretur, hęc inquam mulier vſu theriacæ Aegyptiæ probè ſanata fuit, ſileo breuitatis cauſa, alia commoda in paralitieis vertiginoſis, ſuſpirioſis, ac conſumptis, atque in alijs ferè innumeris malis ex theriacæ vſu obſeruata. Neque id iniuria, cum ea valde perficiatur vero calamo, acoro, amomo, opobalſamo, carpobalſamo, xilobalſamo, & multis alijs præclariſſimis medicamentis, quę humani generis ſaluti magnopere conducunt, quæ quidem in noſtra theriaca deſiderantur. Sunt qui affirment, illius theriacę præſtantiam, ex cornutorum ſerpentium carne augeri, ſi quidem aiunt, carnes tyrorum, quas aliqui ceraſtes dixere, eſſe noſtrarum viperarum carnibus calidiores, uenenoſioreſque. Quod non parum efficacię ipſorum theriacę addere colligunt; quando antidotum promptius ad cor deducatur ex ſerpentis facultate, cuius uenenoſam qualitatem cum homine inimicitię cauſa, ſubitò ad cor pręcipuum hominis propugnaculum ſuaptè natura duci ac inuadere omnes ſciant. Ex quo, vt dicunt, caro illorum ſerpentum longè multò noſtrarum uiperarum carne eſt uenenoſior. Igitur antidotum reddet promptius, ut cor ſubeat, illique opem ferat. Pręterea, ob animalis ſpeciem, & ob calidum ſub quo naſcitur, & alitur cęlum, & quòd in locis aſperis arenoſis uiuat, ratio ſuadet, ex ipſorum carne confectos paſtillos eſſe calidioris facultatis, idque antidoti motum ac operationem ſine dubio iuuare. Quamobrem hęc non indignas laudes de Aegyptiorum theriaca prędicere uidentur. GVILAND. Hoc antidotum, etſi Andromachi theriaca non dici queat, cum adeo diuerſo modo componatur, tamen quod ex multis nobiliſſimis uenenis atque medicamentis ſit compoſitum, quę multis alijs morbis ualide occurrere poſſunt, nō indignum ac inutile antidotum dicetur, affirmoq; & ego, ipſum poſſe multis malis pręſentaneum eſſe auxilium; uerum illius ſumma facultas, ab illius forma reſultans, & tum experiętia ab Andromacho, ut puto inuenta, tum ab ingredięntium medicamentorum natura, & ab ipſorum ſic ordinato pondere probata, uitiato poſtea ingredientium pondere, atque multis deſideratis ingredientibus, alijſque peſſime admiſſis, interijt. Sed ne plus temporis

in

in hoc antidoto conteramus, cum aliqua præterea fuerint à te de illius vsu dicta, finem faciemus. ALPIN. Vsus theriacæ apud Aegyptios est frequentissimus, præsertim in venenatis, atque ab omnibus serpentibus demorsis, à scorpionibusque ictis, qui ibi, vt dixi, exitiosissimi, quales Dioscorides prodidit, habentur, nostris etenim scorpionibus longe maiores existunt, colore viridi, claro, nulliq; nigri ibi existunt. Multi igitur theriacam diu frequentant ita, vt aliqui per totum annum, & aliqui per plures ea vtantur, putantes illum naturalem calorem fouere atq; augere, iuuentutemq; diu conseruare, & vitam longiorem reddere. Eius vero vtilitatem in ijs, qui stomachi languores patiuntur, & à diminuto calore conquoquere nequeũt, nemo est, qui ibi ignoret, ita familiaris est pro stomachi calore augendo, vel conseruando, neque immeritò, cum plerique debilem stomachum, ac languidum obtineant, quod omnes vescantur cibis refrigerantibus, aquamq; ebibant, & dulcibus balneis immoderatè ac inordinate, vtantur: venerique maxime indulgeant. Quisque etenim ibi vxores multas ducere potest, atq; non minus mãcipia, quot alere suis sumptibus potest, pro veneris delectatione, nec tamen his ipsorum turpissima libido vincitur, ex his itaque causis multi ventriculi debilitate laborantes, vsum theriacæ feliciſſime frequentant. Multos uidi fere tabe consumptos non concoquente ventriculo, vsu illiusce antidoti vitam redemisse. In antiquis ophtalmijs, surditatibus, vertiginosis, resolutis, epilepticis, conuulsis, atque alijs omnibus tum morbis tum symptomatis à frigiditate nascentibus, omnes theriaca vtuntur, non minusque in omnibus pestiferis febribus, & in peste nihil habent, in quo magis confidant, quàm theriaca. In puerulis etiam eius vsum exercentes, quid uerbis longius rem produco, ipsi fere ad omnes morbos, ac symptomata theriaca vtuntur, atque hæc de ipsa dicta sufficiant. GVILAND. Composita alia, quibus illos vti nuper narrasti, te quoque subiungere æquum est, proinde expecto ea quoque ex te audire.

De

De quibusdam alijs compositis medicamentis, quibus etiam Aegyptij vtuntur. Cap. XIII.

ALPINVS.

HABENT illi aliam theriacam ad scorpionum ictus, qua frequentissime vtantur, quam tarach elacrap appellant, quam componunt accipientes, piperis nigri, dra.x.piperis longi, dra.v.cyperi, dra.ij.aristolochiæ longæ, radicum, pastinacæ, quam cariotæ nostri appellāt, ex quibus puluerizatis, & melli dulcium siliquarum cōmistis electuarium parant. Huius semunciam exhibent ictis à scorpionibus, quibus ualidissime etiam aduersari censent, puluerisaristolochiæ rotundæ, & corticum radicum capparorum semidragmam cū uino aromatico datam. Aliud antidotum, quod el philosepha appellant, in usu apud ipsos est etiam frequentissimo, ad firmādum catarrhum, quod spiritus corporis roborat, appetentium concitat, concoctionem iuuat, memoriam, bonosq; mores augere quoque aiunt, à frigore defendit, stillicidio urinæ confert, & doloribus uesicæ ex flatu cōcitatis, semen genitale auget, dolorem itidem à dorso leuat, membraq; principalia roborat, dentes in gingiuis firmat, hæq; dotes atque aliæ leguntur in libro ebnag el ducan uocato, in quo omnia composita, quibus illi utuntur, scripta sunt. Parant uero hoc electuarium, accipientes, piperis nigri, piperis longi, zinziberis, cinnamomi, mirabolanorum emblicorum, fumi terrę, aristolochię rotundę, florum calaminthæ, granorū pinearū, nucis Indæ, curcumæ, & alij etiam addunt, nasturtij, testium lupi, an.unciam, passularum à seminibus mundatarum, idest pulpę dragmas triginta, mellis partes tres: omniaque simul miscent, puluerizatisque puluerizandis electuarium faciunt. Alij hoc sic componunt, sumentes piperis nigri, piperis longi, zinziberis recentissimi, cinnamomi, mirabol. emblicorum, bellericorum, fumi terrę, aristoloch.rotūdæ, curcumæ, florum calaminthę, granorū pinearum magnarum, nucis Indę partē unā, mellis despumati partes tres, singula separatim puluerizant, per cribrumq; densum deducunt, miscent, & faciunt electuarium secundum artem. Aliud etiam parant, estq; philonium persicum Auicennæ

cennæ quo vtũtur, cõponunt verò ipsum accipientes piperis albi, seminum hyosciami albi, an. dra. xx. opij, terræ sigillatæ, an. dra. x. croci, dra. v. euphorbij, spicæ nardi, piretri, an. dra. ij. castorij, camphoræ, an. scr. xv. contundantur omnia, quoad puluerizentur, per sedaceumq; traijciantur, quę simul misce, & rursum fac, vt per sedaceum exeant, ex quibus cum mellis despumati idonea quantitate mistis, fiat electuarium, quod per mensem in clauso vitreato vase ad vsum seruetur. Cuius apud illos vsus est familiarissimus ad immoderatum sanguinis, vel alterius humoris fluxum, prę sertimq; ad menstrua profluuia firmanda, atque ad gonorrhęã. Aliud etiam quod bers nominãt, penes omnes est vsitatissimum, ipsumq; parant ex piperis albi, seminum hyosciami albi, an, dra. xx. opij, dra. x. croci, dra. v. (Alij crocum ad quinque tantum chirat in hac compositione ponunt,) spicæ Indę, euphorbij, piretri, an. dra. j. Omniaq; in tenuissimum puluerem redigunt, ex quo cum melle despumato electuarium conficiunt. Videturq; hæc compositio parum dissimilis, uel differens à Philonio Romano, ex Auicenna litteris prodito, ijsdem enim viribus esse Aegyptij experiuntur. Demum ij non minus Diamusch, electuarium, quod Diamesch vocant, in vsu habẽt frequentissimo, ad hilaritatẽ animi conciliandã, & ad augendam venerem: cuiusque gratia dicta sunt medicamentorum, phenoniè, bers, atque diamusch vsum maxime exercent. Hæcq; illa existunt medicamenta, quæ penes illas gentes tum com poni, tum frequentari obseruaui. Superest modo, vt nonnullos clysteres etiam narremus, quibus ad varios morbos atque symptomata ij quoque familiarissime vtuntur. GVILAND. Neque id nobis inutile erit. Quo auxilij genere eos populos maxime delectari olim intellexi. Itaq; ne te hos quoque mihi narrare pigeat.

De nonnullis clysteribus apud Aegyptios vsitatis. Cap. V.

ALPINVS.

IN febribus, in inflammationibusq; internis, & in alijs omnibus morbis à calida causa concitatis, clysteres ij frequentare solent paratos ex decocto seminum endiuię, lactucę, maluę, altheę, bammię, melochię, fenci, oxylapati, Abdellaui, melonis,

lonis, chatè cucumeris, cucurbitæ, ac oleo sesamino (dehensiris apud ipsos appellato) melleq; carnub, ex siliquis quippè dulcibus expresso, quo ij familiarissime in clysteribus ad subducendam aluum, vtuntur. Sunt aliqui, qui ad supradictum conficiendum decoctum pro clystere parando, addunt etiam pruna damascena, sebestena, atque fructus paliuri, quos nabca nuncupant, cassiam solutiuam, vel tamarindos. In ijs vero, quibus ex calore febrili atq; siccitate, vel à calidis, mordentibusque halitibus vigiliæ, deliriaq; contingunt, clysteres conficiunt, decocto ex seminibus psyllij, papaueris albi, interdum etiam nigri, hyosciami albi, aliquãdo etiam rubri, nenupharis, portulacæ, maluarum betæ, parato; atque oleo nenupharino, in quibus vbi etiam ab ijsdem causis sitim concitatam lenire volunt, addunt substantiam tamarindorum, & acidarum cerasarum, nec non berberis fructus, quando etiam adstrictione aliqua aluus opus habet. Et in siccitatibus ventris, cum ipsum laxare solummodo student, clystere vtuntur, ex seminibus maluarum, melochiæ, bammiæ, betæ, psyllij, hordei, fænugreci, meliloti, lini, altheæ, cytoniorum papauerum alborum, passulis à seminibus mundatis, prunis damascenis, sebestenis, dactilis maturis, ficubus sycomori, musarum fructibus, atque iuiubis parato, cum melleq; carnub, vel cassia solutiua, & oleo sesamino, quibus vbi etiam purgare aluum desiderant, addunt aliquando scammonium vsque ad binos scriptulos, vel agarici binas drachmas, vel tantundem pulpę colocynthidis, vel seminum minimorum, validissime purgantium, contusorum, (quæ dacioi el maratu vocant) drachmam, aut alterius medicamenti purgantis, ac nitri, vel salis modicum. Sic paratis his clysteribus illi utuntur ad dolores dorsi, renum, vteri, coxarum, intestinorum, atque capitis, ad vertiginem, apoplexiam, paralysim, surditatem à frigida causa concitatam. Prædicta vero decocta, quibus hos clysteres parari diximns, parant etiam cum seminibus fęniculorum, anisorum, ammeos, visnagę, fęnu gręci, meliloti, dauci, ac alijs, facultate calfaciendi, ac flatus resoluendi pręditis. Ad firmandos uentris immodicę deijcientes, pręcipuè à causa calida, hunc clysterem parare solent, accipientes, seminum coriandri, sumach, berberis, an. dra. v. succi acatię, lycij, hypocistidos, an. dra. iij. aquę calibeatę libras tres; bulliunt omnia ad consumptionem tertię partis, ex quo decocto cum oleo myrtino clysterem conficiunt. Plerique ad diarrhęam, ac dysenteriam corpore prius probè

purgato

purgato clysteres adhibent, ex decocto siliquarum immaturarum foliorum atque florum acatię, in quo aliqui quoque duos uel tres, ouorum assatorum vitellos dissoluunt, vel eosdem in oleo rosaceo, vel myrthino dissolutos, cum decocto prædicto miscent. Verum quomodocunque clyster ex acatiæ siliquis recentibus immaturis, vel folijs, vel floribus paretur, semper quascunque sanguinis, vel aliorum humorum non naturales fluxiones citò ac valenter sistit. In vteri profluuijs firmandis nihil ibi mulieres habent præstantius, quo vtantur. Ioannes Mancinus nobilis Florentinus Cayri olim mercaturam fęliciter exercens, à febre continua, putrida, biliosa, assidua, contabescere inceperat, ex qua cum clystere ex acatiæ decocto parato bis tantum vsus esset, sanatus est. Cum quidem alui deiectio longo tempore copiosa, ac crebra perseuerasset, eumque ferè ad exitium duxisset, febre minime (quanquã satis mitis esset) neglecta probè illius corpore purgato, haud leuata alui diarrhæa, multis frustra tentatis remedijs, consului, vt clysterem ex decocto immaturarum acatiæ siliquarum, foliorum, ac florum recentium paratum, vteretur, ex quo bis adhibito, sic illius aluus cohibita, atque adstricta fuit, vt ne dum flatus posthac per anum exire potuerint. Qui quidem nocte sequenti intus retenti, in dextroq; hypochondrio collecti, septum transuersum valide comprimentes, hominem fere suffocarunt. Quo symptomate nonnullis admotis cum igne cucurbitulis, statim leuatus est. Quamplures etiam clysteres habent hystericæ mulieres, ex decocto seminum fęniculorũ, anisorum, coriandrorum, ammeos, Cymini, lauri, balsamique, & nucis myricæ fructuum, absinthij, camomelli, anethi, rutæ, atque aliorum multorum vim resolutoriam ac excalfactoriam habẽtium, cum modico, vel agarici, vel turbit, vel colocynthidis, atque oleis calidis paratos, quibus familiarissime ad eos affectus vti solent: In quibus medicamentis purgantis loco libenter melle vtuntur ex dulcibus siliquis expresso, carnub appellato; vel Cassiã Aegyptiam, aut hyeræ ex melle paratum electuarium, quod & ipsi etiam componunt. Ad easdem vteri frigidas affectiones clysteriorum quoq; auxilio vtũtur, ex ammoniaco, serapino, opopanaco, in vrina pueri dissolutis, decoctoq, ex seminibus apij, fęniculi, anisi, ac aliorum dictorum medicamentorũ, vim calfactoriam, ac resolutoriam habentium. Sed de his nunc satis. GVILAND. Verum dicis, sed olim ex multis audiui, quam plura apud eas gentes selecta, vel se-

creta auxilia frequentari. Ea igitur si quæ habes, tuis sermonibus digna, ad ea quæ hic consequi dicta sunt, addas velim. ALPIN. Quibus illi ad curandas febres frequentius vtantur, tibi iam potero explanare, quando pleraque alia, quæ plurima existunt, mihi ex memoria maxime exciderint, vixque ea iam recordari amplius possem.

De secretis auxilijs, quibus Aegyptij ad febrium curationem vti solent. Cap. XV.

ALPINVS.

ALIQVI pro secreto habent, synochas, & ardentes febres, multam aquam anguriæ el naui vocatæ ægrotis propinantes, sanare, si modo febricitantes ea multis diebus in cibo, ac potu sola vtantur. Alij aquam stillatitiam ex anguria, chateq; cucumere, atque melone abdellaui, tempore vehementioris æstus largius, frigidamque potandam concedunt, qua epota ęgros multis pannis contegentes sudorem procurant, quo non paucos audio ibi sanatos fuisse. Alij pro secreto habent, multam itidem aquam ægrotis potandam offerre, in qua tamarindi, berberis pruniq; Damasceni fructus per diem cum paucis seminibus feniculi infusi manserint. Quam tunc rectè percolatam cum mannæ mastichinæ vncijs duabus exhibent. Multi etiam curant has febres, singulis diebus, vel saltem alternis diebus vnciam solutiuæ cassiæ cum saccharo candido, vel cum aqua stillatitia melonis abdellaui, vel anguriæ el naui dissolutam exhibentes, & alij libentius manna, vel syrupo de granatis solutiuo in ijs vtuntur. Quæ soluentia medicamenta nonnullis tantum diebus decretorijs ægrotis danda censent, quo circa singulis ijs diebus illi talium medicamentorum vsum exercent, quippe die tertio, quarto, quinto, septimo, nono, vndecimo, decimoquarto, & alijs singulis, morbo minime curato. In quibus febricitantibus epithematis ex aquis multis stillatitijs refrigerantibus cum aceto supra thoracem, atq; præcordia, plerique pro tutissimo auxilio vtuntur. Vigilijs vero correptis, ac ipsis admodum vexatis, succurrunt, emulsione albi papaueris, ac psyllij in multa aqua lactucæ dissoluta, vel hac haud planè

satis-

ſatisfaciente,cum ſyrupo de papauere febricitantibus ſæpe prop nata,vel ſanguinis vacuatione in pueris,mulieribuſque à ſcarifica tis cruribus pręſtita, aut appoſitis cum inciſione cucurbitulis in partibus poſt aures, prope nucam poſitis,aut in adultis ſecta vena frontis,vel temporum,arteriarum altera,vel quę poſt aures pulſat. Vtuntur etiam nõ adhas modo, ſed ad quaſcunque ex calidorum humorum putredine ortas,clyſteribus paratis, vt nuper etiam dictum à nobis fuit,ex decoctis ſeminum maluarum, altheę,hordei, lactucę,endiuię,ſonci,cucumeris,melonis,ac aliorum huiuſcemodi refrigerandi,& humectandi facultate pręditorum, cum oleis refrigerantibus,qualia ſunt quę ex floribus nenupharis, violisq; parantur,atque melle carnub. mirum in modum interna viſcera hos clyſteres refrigerare putant,tenueſque,ac calidos humores euacua re.Plures curant febres intermittentes à biliosis,ac pituitoſis permiſtis ſuccis concitatas, in potu dantes ſingulis diebus ſuccum betę calidum cum ſaccharo candido, ad vncias octo in aurora,atque nonnulli drachmam agarici, cum calido decocto chamedrios,& alij abſinthij decoctum, alijq; chamedrios in tenuiſſimum puluerem redacti drachmã in potu per horã ante acceſſionem cum aqua calaf. multis verò magis probatur infuſio tamarindorum pulpę cum ſaccharo,in aqua bugloſsæ;vel binas vncias terẽgibil in aqua multa endiuię,ſcilicet in duabus ac etiam tribus libris diſſoluti aliqui exhibendas laudant. In pueriſque (quorum terengibil proprium ſoluens medicamentum eſſe ij omne exiſtimant,) vni tantũ librę aquę diſſolutum propinant. Et quibuſdam magis probatur his febricitantibus drachmam rhabarbari ſingulis diebus ante acceſſionem exhiberi. Alij ante acceſsionem per horam prębent deuorandum bolum infraſcripti electuarij,quod parant, accipientes roſarum cõmunium, dra. v. radicis glyzirhizę, cinnamomi, ſpicę Indę,rhabarbari,maſtiches chię, ſandalorum alborum, flauorum, fructuum berberis,croci,an.ſcr.xv.ſacchari candidi, dra.x.ſingula conterunt, ex quibus cum ſyrupo uiolato permiſtis electuarium formant. Pro ſingulari ualde ſecreto apud quoſdam celebratur potio quędam ante acceſsionem per binas horas ęgrotis oblata. Quam parant, ex mannę terengibil uocatę, pulpę caſsię ſolutiuę, tamarindorum,an.dra.iiij.quę in endiuię ſtillatitię, uel communis aquę libra uſque ad conſumptionem duarum partium ebulliunt, colaturęq; miſcent olei ſeſamini binas vncias,nõnulli eodem tem-

pore dant illis potionem ex aquæ betonicæ, & endiuiæ, dra. ij. ſacchari candidi ſemuntia paratam, & aliqui tribus diebus exhibent in aurora decoctum pentaphylli, agrimonij, ac alteæ, cum ſyrupo violato, aut ſex vncias decocti pulegij cum ſaccharo per horam ante acceſſionem. Non pauci etiam eodem modo potionem ſequuntur, quam parant decoquentes in tribus libris aquæ, ſeminum melochiæ, ſonci, apij, endiuiæ, melonis abdellaui, cucumeris chatè, fænu græci, meliloti, an. dra. iij. ad conſumptionem duarum partium. In cuius decocti vntijs quatuor, veri opobalſami drachmam diſſoluunt. Cuius opobalſami vſus eſt apud multos ad has febres frequentiſſimus, ſumunt enim drachmam, & plus etiam veri opobalſami in decocto chinæ radicis, & ſpicæ Indæ, vel in iure pulli, cum radice petroſelini vulgaris ebullito. quo aſſumpto ſtatim pannis multis cooperti plurimum exudare conantur. terq; hoc remedio ij vti ſolent. Multi curant has febres epithematis lineis pannis exceptis, hypochondrijs, atq; vniuerſo thoraci admotis, ſiquidem aiunt noxios humores febres fouentes vi epithematis reſolui. Non minus vero quàm alia epithemata hoc ipſi exercent, quod parant ſumentes, roſarum communium, florum camomillę, calaf, el hanne ſiue liguſtri Aegyptij, caſſiæ ſolutiuæ, violarum, boraginis, an. m. i. ſeminum ſunci, endiuiæ, maluarum, melochię, bammiæ, meliloti, ſęniculorum, fenugręci, ſeſami, altheæ, hordei, pſyllij, papaueris albi, abdellaui, chatè, an. dra. iiij. Quæ omnia modice contuſa bulliunt in tribus libris aquæ ad conſumptionem medietatis, atque colaturæ addunt ligni aloes, roſarum communium, ſandal. rub. puluerizatorum, an. dra. j. croci, gr. v. aceti albi, vnc. i. s. ſimulq; miſcent. Vtuntur hoc epithemate tepefacto, à cuius vſu ſe cauent priuſquam vniuerſum corpus aliquo medicamento, vel ſanguine multo per venã ſectam, aut per crurum ſcarificationem, vacuatum ſit. Aliqui hæc epithemata ſolummodo ex aqua hordei, calaf, endiuiæ, aceto, & croco parant. Quamplures more antiquorum pro ſecreto vtuntur ad omnes corporis partes, quibuſdam linitionibus cum leuibus perfrictionibus adminiſtratis: quas aliqui præſtant cum oleo rutæ, aut amygdal. amararum, aut camomelino, aut iuniperino, & nitro rubeo. Qua frictione cum linitione hac in multis ad ſudorem aptis largum ſudorem concitant, atque ſic morbum finiunt. Hoc auxilium in peſtilentibus febris, in quibus exhanthemata apparere incipiunt, vel exituras ſperant,

plurima

plurima cum vtilitate exercent ſemel ad minus in die probè calidam moliẽtes linitionem,à qua ſtatim febricitantes multis pannis cooperientes ſudorem promouere,venenoſumque humorem à viſceribus ad cutim trahere ſtudent. In pueris vero, atque infantibus variolis ſuſpectis, vel malignis ex hanthematibus,nullum præſtantius,neque ipſis familiarius habent auxilium. Sunt qui inungunt per horam ante occeſſionem totam ſpinam dorſi à nuca ad lumbos vſque oleo antiquo, ſampſuco, ruta, artemiſia, abſinthio, ſpica Inda,maſtiche,ac thure ebullito,ipſoque calido inungentes, præmiſſa parua ac leui frictione. Nonnullis ex multis linitionibus hęc magis probatur, qua ad eandem ſpinam libentius vtuntur. quam parant ex olei antiqui, ſucci rutę,vini aromatici albi, an.dr. vj.theriacæ Androm. Senioris, dra. iiij.bullientes in phiala vitrea ad conſumpt.medietatis. Sunt etiam alij multi, qui ad has febres tertianas varia medicamenta pulſibus brachiorum, ac crurum admota frequentant,ex quibus vnum pręſtant,multis ex araneis,vna cum ſuis telis contuſis ad modum linimenti cum oleo roſaceo miſtis,vel araneas ipſas in oleo prędicto incoquũt, quo calido carpũ ambarum manuum inungunt. Alij vrticam cum ſale, vel nitro tritam eodem modo admouent per horam ante acceſſionem.Hęc atque plura alia in curatione febrium tertianarum curatu difficilium illi proſequuntur. Ad eas vero, quę ad pituitoſarum magis naturam accedunt, quas noſtri ſpurias ac notas tertianas nuncupant,longeq; magis ad quotidianas, vel amphimerinas, multi pro ſecreto habent ante acceſſionem,chamedrios puluerizati drachmã in iure pulli exhibere,vel ex ea herba paratum decoctum cum ſaccharo multis diebus. Alij ad eaſdem calidum decoctum eodem modo propinant, quod parant in aqua bulliẽtes florum violarum bugloſſi,boraginis caſſię calaf,roſarum communium,an. dra.ij.ſeminum maluę, fęnu gręci, fęniculi, mei, endiuię, abdellaui, chatè, an.drach.iiij.liquiritię raſę,paſſullarum,pulpę tamarindorum,an. dra.j.zinziberis,ſpicę,carpobalſami,cannellę, chamedrios, turbit, mirabol.chebul.an. dra. ij. foliorum ſenę, dra. xv. agarici optimi, dra.iij. rhabarbari electi, dra. ij. hęc omnia minutim inciſa infundunt in aquę endiuię libra,quam poſtea parum bulliunt, valideq; exprimunt,& expreſſioni addunt oxymellis ſimp.dra. iij. diuidunt verò hanc potionem in tres partes, quam tribus diebus in aurora ſummè calidam exhibent. Sunt aliqui,qui prędicta omnia infun-

dunt in tres aquę libras,& postea percoquunt ad duarum partium consumptionem ; cuius singulo mane exhibent vncias quatuor cum saccharo. Quibus vero per hoc medicamentum febris non tollitur,ij exhibent etiam singula die ante accessionem semidrachmam theriacę Androm.Sen.cum modico sacchari rosati. GVILAN. Videntur hæc ex te narrata medicamenta ex eorum esse numero, quæ rationi non omnino aduersantur, propterea ipsorum vsum minime spernendum à nostris medicis,existimo. Sed perge,quod superest ipsorum narrationi, dicere. ALPIN. Ex secretis experimentis, quæ ad quartanas febres Aegyptijs familiaria existunt, hæc quoque in memoriam seruo, quam plures enim ad id morbi genus pro selectissimo remedio habent, ægrotis decoctum ex menta paratum ad semilibram calidum,cum spolij serpentis pulueriza ti binis drachmis,ante accessionem per horam propinare:Alijque maiorem efficatiam tribuunt, vomitioni à decocto asari per os sumpto tempore accessionis concitatę. Nonnullis etiam probatur drachma catapociorum ante accessionem, exhibita; quę parãt ex agarici,gentianæ,castorei,myrrhæ,rutę,an.dra.ij.piperis longi, calami aromatici croci,an.scr.iiij.theriacæ antiquæ,dra.iij.cum syrupo de granatis dulcibus,& aliqui aliud genus catapociorum parant,quo eodem quoque modo vtuntur,ex diagridij,salisgemmę, an.dra.s.aloes epatici,dra.iij.cum melle:Alijs vsitatius est,quartana correptis exhibere drachmã agarici,cum myrrhæ scrupulo dissolutam in decocto pulegij. Non paucos etiam sanatos audiui clystere ex decocto amaraci, oleo laurino, cum duobus ouorum vitellis parato,sæpius adhibito.Nonnulli ad hãc febrem extollunt puluerem quendam ex mastiches,dra. iiij. spicę nardi, dra. i.s. euphorbij,dra.ij.paratum;cuius drachmam in iure calido per horam ante accessionem assumunt. Sed quę febribus pestilentibus prę-sentanea esse auxilia ij putant, nunc etiam subiungam,priusquam è memoria mihi excidant. Qui tuto magis has curare opinantur, prę-misso clystere leniente eadem die, modo ęgroti ieiuni sint, sanguinem surarum scarificatione copiose vacuant. secunda die alij tamarindorum accidam pulpam,alij syrupi de succo granatorum dulcium solutiui,ac alij terengibil vncias tres in aqua calaf,vel sonci dissolutum in aurora concedunt. Hos ægrotos à principio ad finem vsque perpetuo hunc potum sequi prę-cipiẽtes, qui paratur exempli gratia,ex aquę endiuię, rosarum,buglossi, calaf, ex acido citri,

citri, vel limonis ſtillatę, an. libra media, in qua per noctem, vel diē infundunt fructus Paliuri Athenei, nabea vocatos, berberorum, pulpę tamarindorū, an. dra. ij. ſem. citri 3. i. factaq; diligēti expreſſione addunt vini granatorum acidorum, ſucci citri, vel limonum, lactis ſeminū abdellaui aqua roſacea extracti, an. dra. ij. lactis ſem. citri, dra. j. miſcentq; omnia ſimul pro potu. Pauperes, qui multum ſumptum ferre nequeunt, tamarindorū pulpam atque berberorum fructus, cum ſeminibus fęniculorum, vel citri in plurima aqua communi eodem modo infundunt, quam ęgrotis pro potu toto morbi tempore concedunt. plurimumq; in huius potus vſu ſperant, neque immeritò, cum tum tamarindos, tum berberos illarum febrium putredini maximè obſiſtere penes illos pluries expertum, ac cognitum ſit. Primis harum febrium ita peractis diebus ad inuntionem totius corporis accedunt, cutè quippè leniter perfricata, atque poſtea calida inunctione inuncta, naturę ad cutim expulſionem eo auxilio maximè adiuuantes, innunctionem vero ex oleo amygdalarum amararum cum nitro rubro, quod natron appellant, parant. In pueris, vt etiam nuper dictum eſt, variolis, vel puncticulis infectis hac linitione nullum remedium ſecurius, vel pręſtantius habent. Aliqui huius loco ſudorem prouocare ſtudent, calidis medicamentis in potu ſumptis. Quorum hoc ipſis familiarius obſeruatur, quod parant ex theriacę Androm. Senioris, ſcr. ij. puluerisque infra dicendę drachma in aqua calaf, vel citri. Puluerem uero conficiunt ex ſcordij, chamedrios, ſeminum citri, an. dra. j. ariſtolochię longę Zedoarię, dictami cretenſis, cornu cerui vſti, boli armeni, terrę ſigillatę, roſarum, calaf, ſpicę, margaritarum pręparatarum, an. ſcr. ij. camphorę, ſcr. j. s. corallorum amborum, ſcr. j. ſacchari candidi, dra. ij. omniaq; tenuiſſimum in puluerem redigunt. Quam potionem mane ante cibum, & à cibo ſpacio ad minus ſex horarum calidam bibunt, à qua ſtatim ęgroti in lectulo pannis multis cooperiuntur, vt ſudent, & poſtea toto corpore lineis calfactis pannis molliter fricantur, & à frictione rurſum continuo pannis conteguntur, atque ſudorem omni conatu procurant, repetuntq; hoc ter ad minus in die. Alijs ad idem magis probatur potus ex aquę roſatę, calaf, florum citri, ſucci limonum, an. dra. j. theriacę ſupradictę, ſcr. ij. croci, ſcr. s. paratus. Nonnulli vſque adeo audaces exiſtunt, vt quatuor cantaridarū capita, & alas in puluerem reddactas cum tribus

vncijs

vncijs aquę endiuię ęgrotis propinare audeant, quo medicamento, vel per sudorem copiosissimum, vel per vrinam pestiferum venenum vacuari, affirmant. Multi singulo mane libram decocti calidi assumunt, ex chinę radice, seminibus citri, vel limonis, abdellaui in aqua boraginis, vel calaf, vel etiam rosacea, atque modico succi citri, parati. alij hūc potum parant: chinam tantum radicem, atque modicum pulpæ tamarindorum in aquam, ex limonibus distillatam bullientes ad consumptionem medietatis, cuius decocti calidi libram bibunt, & statim sudare plurimum student. Alij alium puluerem eodem hoc modo vtendum cum aqua rosacea, vel calaf, pro secreto ad has febres habent, quem parant accipientes dictami Cretensis, albi, rutæ, mari Cretensis, an. dra. ij. bacarum iuniperi, lauri, seminum peoniæ, an. dra. j. s. calami aromatici, carpobalsami, cinnamomi, aristolochiæ rotundæ, zedoariæ, gentianæ, an. scr. j. florum calaf, rosarum rub. citri, an. scr. j. gariophyllorum, camphoræ, boli armeni, terrę sigillatę, lapidis bezaar, margaritarum, an. scr. s. In peste quoque habent in vsu nonulla electuaria frequentissimo ad pręcauenda corpora, ne inficiātur. Quorum vnum, cui omnes maxime confidunt, componunt, sumentes, terræ sigillatæ, dra. ij. sem. citri, acetosę, an. dra. j. s. boli armeni, aristolochię rotundę, scordij, zedoarię, dictami albi Cretensis, an. dra. j. theriacę antiquę, cornu cerui vsti, dra. j. s. margaritarum, smaragdi, Hiacinthi, camphorę croci, an. scr. ij. sandalorum omnium, coralorum rubeorum, alborum, serici combusti, an. scr. i. s. Quæ omnia in puluerem redacta, cum syrupo de acido citri miscent. Cuius dosis est à semuncia ad unciam. Ad idem hoc aliud sic componunt, sumentes zedoarię, galangę, scordij, chamedrios, calaf, florum, corticum atque seminum citri, acetosę, terrę sigillatę, boli armeni, calami aromatici, cinnamomi, carpobalsami, xilobalsami, coralorum rub. an. dra. j. dictami Cretēsis, sandal. rub. an. scr. j. cornu cerui vsti, cāphorę, an. scr. ij. croci, piperis nigri, ligni aloes, moschi, fragmentorum smaragdi, an. scr. i. s. margaritarum, dra. i. s. aloes succotrini, myrrhę, an. dra. iiij. theriacę antiquę, dra. ij. misce puluerizata cum syrupo de acido citri, & fiat electuarium, dosis est semuncia. Aliud ad idem, quod parant ex seminum citri, abdellaui, chatè, acetosę ocymi Aegyptij, quem rihan appellant, carpobalsami, an. dra. iij. dictami, bedeguar, scordij, zedoarię, an. dra. ij. cornu cerui vsti terrę sigillatę coriandrorū pręparatorum, lapidis bezaar, an. dra. j. Margaritarum

garitarum,hyacinthi,ſmaragdi,topacij,an.dra.i.s.ſandalorum omnium,camphoræ,an. ſcr. ij. boli armeni, dra.j. ſacchari roſati antiqui,dra.viij.theriacæ antiquæ,dra.iiij.mitradatij, dra. ij. cum ſucco de acido citri puluerizatis puluerizandis miſcent, & faciunt electuarium:cuius doſis eſt à drachma vna ad duas. Apud omnes Turcas atque alios nobiles Aegyptios, opobalſami vſus eſt frequentiſſimus, neque immeritò, cum ille ſuccus tantopere aduerſus omnem humorum putredinem præſtet,eo enim inuncta cadauerorum corpora diu imputria ſeruari multorum teſtimonio conſtat. Temperamento hominis naturalem calorem valde fouet, & auget, plurimumque nobilia membra roborat, atque citiſſime corporis partes permeat. Multos illius vſu à pluribus peſtilentijs ſuperſtitiſſe incolæ teſtantur. Omnes ferè, vt ſeipſos à peſtis contagio deffendant, huius liquoris vſui plus fidunt, quàm cæteris alijs auxilijs, id in aqua ex acido citri, ſtillaticia, vel ex florum citri, vel in vino albo, aut iure pulli liquatum bibunt, aut (quod ſanè valde celebre ſecretum ad peſtem habetur) cum binis ipſius ſucci vncijs,miſcentes myrrhæ,carpobalſami,ligni aloes,terrę ſigillatę,boli armeni,margaritarum,lapidis bezaar,croci,an.ſcr. j.ſumuntq; huius compoſiti ſingulo mane drachmam. Aliqui peſte infeſtis ſic medentur,continuo cruribus,brachijs,& inguinibus ea medicamenta,quæ noſtri veſicantia vocant, applicant, ex quibus vlcera multa in ijs partibus,per quæ humores ſummę putridi à natura extra mittantur, expurgentur. Cruribuſque non vnum, vel duo,at decem,& plura etiam vlcera infligunt,atque non minus brachijs:atq; hoc auxilium penes omnes Arabes,qui cum per deſerta loca continue equitantes,ſecum multa medicamenta habere nequeant, quibus utantur, hoc remedio vtuntur,raroq; eius opera fruſtrantur. Repeto aliud,cuius quidem ſuperius quoque meminimus,ad curandos ſanè peſte infeſtos non minus apud Arabes celebre,& uſitatum,quàm nuper dictum ſit. Quod illi moliuntur, tres ſcarificationes longas, & profundas, quę non ſcarificationes, ſed permagna vulnera apparent, vtrique cruris ſurę per longum infligentes,quę non ſanant,priuſquam ęgroti perfectè à peſte ſani euaſerint. GVILAN. Hoc genus auxilij, quamuis barbarũ prę multo dolore uideatur, tamen adprime vtile peſte infectis iudicandum puto,quòd corpora non ſolum euacuentur, ſed noxij humores non minus à nobilibus partibus ad ignobiles reuellentur,continuaq;

tinuaq; putridorum humorum in toto morbi tempore per illa vlcera fiat euacuatio, ex qua ægrotos maxime iuuari non est hæsitandum. Hinc ego hac perdoctus experientia in omnibus pestiferis febribus in remotis partibus corporis, vlcera omnia, profunda, & lata, vel à natura protrudẽte venenosos humores, vel igne, vel exulcerante quopiam medicamento facta, planè laudanda censeo, præcipueq; læso iecore in inguine, corde in brachijs, atque cerebro in occipite, vel in collo. His quidem vlceribus illa viscera facile vtuntur ad extra mittendos siue vacuandos veneficos succos à quibus ipsa in pestilentibus ijs febribus, læduntur. Sed iam iam cesso adloquí, ne amplius tuum cæptum sermonem aliquo modo interturbem: sequere itaque reliqua; ALPIN. Quid amplius dicam? nulla videntur mihi superfuisse dicenda, nisi de hecticarum febrium curatione hæc quoque pauca tibi subiungam. Curant enim ij hecticas febres, nullis putridis coniunctas, quæ exquisitæ hecticæ vocantur, victu præcipuè frigido atque humido ex cucumere, cucurbita, hordeo, lactuca, endiuia, beta, ac aliis huiuscemodi in iure coctis, aliis magis probatur in victu vsus anguriæ el naui, nam maxime refrigerat, & humectat. Aliisq; iuscula cum iisdem alterata. Omnibus vero sorbitiones maglub atque mastahaleb vocatæ sunt familiarissimæ, quę ex variorum seminum vim refrigeratoriam, & humectatoriam habentium, parãtur, quale à plerisque sic paratur, ex seminum lactucæ, endiuiæ, sonci, maluarum, psyllii, papaueris albi, melonis abdellaui, chatè, cucurbitæ, anguriæ, hordei, pistachiorum, amygdalarum dulcium ex gaza aduectarum, (quas minus aliis calfacere ij putant) singulorum æqualibus partibus, quibus aliqui miscent semina fęniculorum, aut citri correctionis causa, quę omnia in marmoreo vase contundunt, ac postea lac cum aqua endiuię, vel hordei exprimunt atque colligunt, cui addentes modicum aquę rosaceę, & sacchari candidi violati, sorbitionem parant, quam hecticis aliorum ciborum loco offerunt. Sunt qui hoc tantum victu pluribus diebus vso à febre illa euaserant. Alii hecticos curant lacte camelino, vel asinino, vel humano, maximeque consumptos. Vtuntur etiam balneis ex lacte tepido paratis, corpora etiam illorum prẹter quod lacte irrorant, oleis quoq; nenupharino, violaceo frigidis, vel tepidis inungunt. Non minusq; illis in vsu familiarissimo dulcia balnea tepida, atque frigida existunt. Multi enim post balneum calidum frigidam in aquam, quę

tamen

tamen non multum ſit frigida; ſe immergunt pleriq; libentius tepida, quàm frigida ad hecticos curandos vtuntur. Diuites, vt iam dixi familiaria habent balnea, ex lacte camelino, vel aſinino, vel caprino parata. Hęcq; obiter memini, me, partim apud Aegyptios medicos ad vſum febrium curandarum, praxim cum ipſis exercendo obſeruauiſſe, partimq; à quodam medico Aegyptio doctiſſimo accepiſſe, quę qualiacunque ſint, tibi libentiſſime nunc communicare volui. GVILAN. Perphulchra ſane videntur, minimeque inutilia, quę dixit, modo, pro quib. non paruas gratias tibi habeo. Sed tempus nunc nobis ſuadet, vt paululum quietis nunc capiamus, reliqua in altera die dicenda remittentes, quando parum diei nunc ſupererit, nam video, Solem penè ad occaſum iam acceſſiſſe, ex quo etiam in hac die illa abſolui à nobis non potuiſſent.

FINIS LIBRI QVARTI.